IO. PAVLLI KRESSII, ICTI
EXERCITATIO IVRIDICA
DE
NEPOTE EA,
QVÆ PARENS ACCEPIT,
IN VNIVERSVM
CONFERENTE.

DVLCES PER SPINAS ARDVA TENTO

17 50

EDITIO NOVISSIMA.

HELMSTADII

EX OFFICINA SCHNORRIANA

MDCCL.

CAPVT. I.

DE
NEPOTVM COLLATIONE
IN GENERE.

§. I.

DE nepotum collatione visuri, cum de ejus origine, variisque iis, quæ experta est, fatis post tot doctissimorum interpretum effata solliciti fuerimus, toties jam acta agere multis quidem videbimur; sed subsequenti argumenti tractatione patebit, quod licet ab aliis dicta sicco transeamus pede, quo felicius progredi queamus, singula collationis momenta altius repetendo tamen operæ pretium fecerimus. Antiquissimo Quiritum Legumque XII. Tabb. jure tam angustis cancellis

Variæ quæ collatio experta est mutationes exponuntur.

circumsepta erat successio, ut emancipati, qui per ipsum emancipationis actum capite minuti fingebantur, plane non ad hereditatem paternam vocarentur, sed soli sui ad eandem admitterentur. Prætor itaque tam naturalis æquitatis quam juris emendandi quo ferebatur *L.* 7. *ff. de J. & J.* studio inductus *pr. J. de B. P.* hanc emancipatorum capitis deminutionem rescidit, & jus percipiendarum hereditatum ad emancipatos *ex æquo & bono* dilatavit, cit. §. 1. *J. in fin. de B. P. L.* 6. §. 1. *ff. de B. P.* & ut his æque subveniret, ac LL. tueretur, bonorum excogitavit possessionem, quo colore filii emancipati jure quasi postliminii in familiæ sacra revocati sub alio licet titulo iisdem tamen & paribus, quibus sui, frui possent juribus, *L.* 2. *de B. P.* nullo onere hactenus ad eos pertinente. Quo fiebat, ut ex summa æquitate summa simul propullularet iniquitas. Filii enim in potestate parentis adhuc constituti, sibi nihil, patri omnia acquirebant, acquisitorum a se pariter ac reliquorum, quæ parens reliquerat, bonorum portionem cum emancipatis communicare tenebantur, hi autem ex adverso quæ lucrati erant sibi reservabant; unde ab his duplici incommodo afficiebantur sui; causa igitur aderat quæ Prætorem movere poterat, * ut emancipatos quoque juberet bona sua in medium proferre, qui paternorum participes redderban-

* Causa hæc quæ Prætorem movere poterat, in eo præcipue quærenda; quod Prætor deterioratam suorum heredum caussam, non adeo siccis, ut loquimur, oculis, adspicere potuerit, sed quod iis inflixerat vulnus rursus se curare debere putaret.

debantur *L.* 1. §. 1. *ff. de Collat. bonor.* Ab hoc emancipatis imposito collationis onere nihil eximebatur, nisi quod post patris mortem conquisitum *L. 6. C. de Collat.* una cum castrensi & quasi castrensi peculio * *L.* 1. §. 20. *ff. h. t.* Sed rebus sui heredis

sic

* An ab omni tempore quo collatio invaluisse præsumitur, a collatione, quam ab auctore suo prætoriam nominare liceat, exemtum quoque fuerit peculium castrense & quasi-castrense, non sine ratione negari, vel in dubium saltem vocari potest. Iis sane temporibus quibus Imperatorio arbitrio nondum parebat Roma incognitum quoque adhuc erat *peculii castrensis nomen* teste *Suetonio Cap.* 15. *in vit. Tiberii*, & *Dionisio Halicarnassensi.* Pro lege a Romulo sancita servorum instar liberi nihil proprii quicquam sibi habebant, omnia patris erant quæ in liberorum erant manibus; uti verba fluunt apud *Senecam de benefic. lib. VII. cap.* 4. Julius autem Cæsar pro addendo militiæ pretio concessit militibus indeterminatam testandi de acquisitis in castris bonis facultatem, *L. 1. ff. de test. mil.* variisque prorsus eandem adduxerunt ordine sequentes Cæsares privilegiis. *Conf. v. gr. Sat. XVI. Juvenal.* Recte exinde ad hæc tempora castrensis peculii constitutionem simul ac ejusdem exemtionem a collatione referunt antiquitatum scrutatores. Iisdem vero introductæ a Prætore collationis, quamvis eadem in puncto propter desideratam diu a clarissimis viris edicti chronologiam determinari nequeat, originem tribuere, & hanc peculiorum primordiis coævam facere historica verisimilitudo vetat. Primus enim, uti ex *Livio lib. VI. in fin. & lib. VII. post. princ.* haurire possumus, Prætor (sive praeitor populi) Romæ creatus est A. V. C. 389. vid. GEORG. EBERLINVM *in comm. ad tit. D. de O. J. pag. 211.* pluribusque sequ. ubi omnis historia. Jus exinde illum, per tria secula, & qui excedunt annos, Quiritibus ante Julium dixisse patet, nec creditu facile est, eum omne hoc tempus studii juris emendandi vacuum, sibi soli otioque dedisse, nec emancipatorum misertum ante Imperatores bonorum possessioni & quæ citra dubium brevi eam insequuta est colla-

tioni

ſic bene conſultis, nova iterum emergebat iniquitas. Emancipato enim quæ proprio ſtudio ac opera ſibi acquiſiverat a paterna familia miſſus, in communis hereditatis maſſam inferre coacto inferebatur haud exigua injuria, dum bona, quæ ipſe congeſſerat, conferre jubebatur, viciſſim ſui, cum mortuo patre uſusfructus paternus in his deſineret, eadem pleno dominio ſibi retinebant. Accedebat & illud, quod emancipatorum bona ſua induſtria quæſita, vel certe adventitia; omnem parentis ſæpius exæquarent hereditatem. Vnde collationem novo quaſi habitu induit Imperator Leo *L.* 17. *C. h. t.* verſic. *ex ſubſtantia autem ejus* (*ſcil. parentis*) *profecta.* Qua lege eousque emancipatorum collatio coarctata, ut nihil præter ſolum profectitium in poſterum conferre eos oportuit. Neque autem ſic collatio omni ex parte beata, ac ad æquitatis regulas compoſita viſa. Nam prætor cæterique poſt eum jurium emendatores tunc demum collationi locum fecerant, cum ab inteſtato vi & auctoritate legis quæ inter nativitate pares paria quoque diſtribuit jura, ſucceditur; e contrario autem ſine expreſſe declarata teſtatoris voluntate nihil conferri debere inter eos qui ex teſtamenti tenore ſuccedunt, quorum ſola norma

---

tioni locum feciſſe, præcipue cum haud obſcure liqueat, ſucceſſionis & quæ ad eandem pertinent argumenta omnium fuiſſe prima quorum emendationem ſibi commendatam habuit Prætor, cujus auctoritas hiſtoria docente jam a Syllæ temporibus tantopere in decrementum ivit, ut ſub Imperatoribus ex antiquo quo præfulſerat hæc dignitas ſplendore, nil fere quidquam præter dulce nomen ſupereſſet.

ma ſit teſtatoris arbitrium, quod ei plane eſt reli-ctum *L.* 1. *L.* 7. *&* *L.* 10. *C. h. t. L.* 8. *C. de inoffic. teſt.* Atqui & taciti arbitrii paterni rationem habendam putabant a liberis. Vnde ſi pater de collatione datorum nihil in tabulis ſuis præceperat, id actum tacite credebant, ut data apud filium penes quem ſemel erant, in perpetuum gratis permanerent. Suſtulit hanc differentiam Imp. Juſtinianus *Nov.* 18. *cap.* 6. & ex eadem in *Cod. h. t.* tranſcripta *Auth.* ex teſtamento. Simulac rationem ipſe indicat, quod nempe mortis doloribus excruciatus ſæpius oblitus eſſe poſſit a ſe datorum, quæ alias conferri probabili ratione voluerit. Vnde quod tacite negotio ineſt, pro expreſſo eſſe habendum juſſit cit. *Nov.* 18. *Cap.* 6. Conf. RITTERSHVSIVM *in Comment. ad Nov. pag.* 261. *ſeq.* VINNIVS *Cap. VIII.* §. 5. *de Collat.*

§. II.

Collatio pro æqualitate inter liberos ſervanda, eſt introducta.

Jure itaque civili, cum ſatis conſtet nullam emancipatorum ad paternam hereditatem fuiſſe admiſſionem, prono exinde fluit alveo, collationem quoque tunc temporis omnino fuiſſe ignotam. Illa autem Prætori ÆQVITATI ſtudenti & Quiritum jus nimis anguſtum ac durum emollienti debetur, hæc ex eadem ſimul promanavit ÆQVITATE. Nec opus eſſe videtur poſt præcedentem §. operoſius laborare, ut ejusmodi æquitatem * collationis argumento ineſſe probemus.

 Satis

* Ineſt quidem collationi ea aequitas, ut mediate ex eadem originem traxiſſe poſſit dici, dum Prætor excogitata pro æquo &

Satis id testantur verba *L.* I. *ff. h. t.* Præterea omnis in successionum quæstionibus in eo vertitur cardo, ut vel testantium satisfiat dispositioni, cui conferendi necessitas minime repugnat, cum liberæ disponendi facultati per eam neutiquam præjudicetur; sive ut, si de contraria testatorum voluntate non constet, exacta inter liberos servetur æqualitas, utque omnes qui eodem nativitatis gaudent gradu, paribus quoque ad eandem hereditatem vocentur partibus. Vti enim naturalis stimulus parentes ad liberorum educationem hortari, *L.* I. §. 3. *ff. de I. & I.* & patri propter ipsam naturam necesse esse filium vel filiam alere *L. un.* §. 5. *vers. sileat C. de rei uxor. act.* dicitur: ita & eadem parentum versus omnes liberos præsumitur propensio, ut æquitatis pariter ac æqualitatis inter eos servandæ habere velint optimam rationem. Ad ejusdem autem normam leges circa collationis argumentum versantes ad unam omnes esse concinnatas, vel primo intuitu statim patescet. Luculentum ejus argumentum exhibet VLPIANVS *in L.* I. *ff.* §. 5. *h. t. & L.* I. §. 13. *de conjung. cum emanc. lib.* ubi ostenditur: per Prætoris edictum id cautum fuisse, ne in eodem successionis jure positorum, alter per B. P. LOCVPLETIOR reddatur, altero DAMNVM sentiente. Verba in cit. LL. uti æquitatem omni ex parte spirant: ita fun-

& bono bonorum possessione, pro eodem æquo & bono postea quoque collationem non introducere non potuerit. Ast si caussam desideraveris proximam, per dicta ad §. præced. illam invenies potius in eo: ut Prætor caussæ suorum heredum vulneratæ, remedium iterum adferret.

fundamentum quoque collationis iisdem contineri probat: BRVNNEM. ad easdem. Generale propterea ex iis Dd. deduxerunt axioma: ut toties collationi locus fit, quoties citra eam nimia inter liberos orietur *inæqualitas* * *Vinnius de collat. Cap. XIII. n. 5. Dd. ad tit. ff. de collat.* Vel uti aliis potius visum: non confertur, quam quibus hereditatis pars detrahitur, nec conferunt alii, quam qui detrahunt. *Id. ibid.* Debetur & eidem legislatorum æquitati regula: ut quoties exstet voluntas testatoris EXPRESSA *Nov.* 18. *cap.* 6. *in fin.* VEL TACI-

Regulæ circa collationem generales.

---

* Post Nov. jus pro unico vero & genuino faciendæ collationis charactere inter liberos inæqualitas vitanda habenda servandaque nisi eandem introduxerit sua voluntate ipse testator. Non pari lege coheredibus collatio injungebatur prætoria, sed longe alio pro modulo ea æstimanda. Varia enim utriusque juris emendatoris Prætoris scil. & Justiniani fuerunt studia, diversusque eorum scopus. Ille continebat se in resarciendo quod suis abstulisset, ulterius non sollicitus; hic vero una cum æquitate æqualitatem quoque inter liberos extra casum expræssæ testatoris voluntatis non lædendam ante oculos habuit eandemque adhortans potius quam sanciens testatoribus commendat Nov. 22. cap. 48. Vers. *Si quis autem.* Vnde porro collationis species, quæ Prætoris edicto debetur, ab ea cui Justinianus novam plane formam per Nov. induit plurimis differt nominibus: 1) enim aliæ sunt personæ conferentes, 2) alia res conferenda, 3) diversus ex utraque resultat effectus. Siquidem quod ad Imum pertinet Prætoris edicto emancipati tantum conferre jubentur, jure Justinianeo omnes descendentes *ad quos aliquid ex hereditate, de qua quæritur, profectum*, quodque testator rursus inferri non exprесse prohibuit. 2) Prætor bona omnia conferre jubebat, Imperator tantum *data*, sive profecta. 3) Prætoris bonorum possessores â collatione se defendere queunt exceptione; rem ex bonis citra dolum

TACITA * *L.* 39. §. 1. *ff. famil. hercisc.* collationem prohibens, toties conferendi plane cesset necessitas, cum contra testatoris arbitrium eidem locus esse nequit, arg. *L.* 8. *Cod. de inoff. testam.*

§. III.

Capitis conspectus.

Hæcce præfatis, minus erit difficile determinare: 1) quid sit collatio? 2) quem collationis oneri adstrinxerint LL? 3) cui conferatur? 4) quale collationis sit objectum, sive quæ bona conferendi necessitati subsint, quæque ex adverso non conferantur? 5) quo collatio modo fieri debeat? Quibus quæstionibus rite discussis, in omni argumento inoffenso procedere licebit pede. Ad primam igitur quod spectat, non nisi duplici definitione rem omnem conficere atque satis exhaurire poterimus. Secundum antiqui enim honorarii juris analogiam collatio recte dici potest: *bonorum ab emancipatis filiis conquisitorum, & paternæ hereditatis in unum corpus congestio, sive totalis confusio in suorum heredum gratiam facta.* VOET *ad ff. tit. de Collat. num.* 1. Sed temporis successu jure Novell. collationis forma plane mutata, adeo, ut hodie nullus suorum & emancipatorum habeatur am-

Definitiones.

dolum culpamve suam exiisse. *L.* 2. *§.* 2. *ff. de Coll.* rationem *vid. infra in not. ad §.* 9. Sed hæc exceptio post *Nov.* 18. *Cap.* 6. amplius non potest adtendi.

* Jure Codicis quin detur *tacita testatoris prohibitio*, in dubium quidem vocari nequit per *L.* 1. *h. t. Nov.* 18. *cap.* 6. verbis: *si vero testati &c.* Eadem autem *Nov.* 18. paulo post verbis: *nisi expresse designaverit*; hanc legem abrogare, & non nisi *expressam talem* admittere videtur. Adde STRYCK *de S. ab I. pag.* 1181.

amplius respectus, nec paternorum vel maternorum bonorum, ulla adhuc quoad collationem supersit differentia habita tantum æqualitatis ratione quum dicere posses: Justinianeam collationem & definire: *contributionem, & restitutionem bonorum â parentibus inter vivos ad liberos profectorum â solis liberis, omnibus tamen, in omni successionis genere, ni* DISSERTA *parentum voluntas obstet, pro tuenda inter illos in successione æquitate faciendam.*

§. IV.

Habendam in collationis argumento diximus æqualitatis INTER LIBEROS servandæ rationem. Vnde inter hos tantum collationem obtinere, facile intelligitur. Antiquissimo autem jure utut nec emancipati sibi invicem, nec sui emancipatis conferrent, in juria quippe neutro illata *L.* 1. §. 24. *h. t. Vinn. d. tr. cap.* 11. Postea tamen B. P. suis etiam concessa, & liberis itaque omnibus per edictum: *unde liberi*, vocatis ad paternam hereditatem, eorumque distinctione tam secundum sexum, quam conditionem, *per Nov.* 118. *cap.* 1. plane sublata. SCHNOBEL *in diss. ad ff. diss. XVIII. th.* 16. multiplicatis quæ B. P. gauderent entibus, quin & collationis subjecta multiplicarentur non esse non potuit, arg. *L.* 10. *de R. I.*; Omnes exinde liberi conferendi necessitati sunt adstricti *L.* 17. *C. h. t.* Ei qua tales, i. e. qui prima generatione a parentibus descendunt, LLbus diserte circa eos disponentibus, imo & eorum juribus ab Arnoldo Vinnio, Adamo Brunnero, Stephano Forcatulo multisque aliis satis explicatis, nostræ non sunt

Quis conferat?

De collatione generatim spectata scriptores.

tra-

tractationis. Secundum Romanorum autem dicendi morem nomine liberorum §. 4. *I. qui tutor. testam. dari poss.* & nostrum: derer Kinder; vid. HERT. *in paroem:* Es ist nichts lieber als Kindes-Kind; uti omnes, qui ex uno communi parente progeniti sunt descendentes veniunt *L.* 34. *C. de inoff. testam. L.* 104. 222. *ff. de V. S.* & ad easdem GRÖNWEGEN aliique: ita quoque ex præsumto voto & parentum voluntate, causam ex sanguine suo prognatorum potiorem in hereditatis suæ divisione esse cupientium, ad ascendentium hereditatem vocantur omnes *descendentes*, nulla habita attentione, sintne primi sive secundi gradus an nepotes, an pronepotes, vel quoque ulteriorum, rariori licet exemplo, generationum *d. l.* 17. *C. h. t.* Perspiciebant enim legumlatores utique naturalem ita quidem ferre ordinem, ut gradu proximiorum filiorum potius sit jus, quam caussa nepotum remotiorum, iniquitatem tamen simul subesse videbant, istos hac parte plane privari, quam mediante suo parente, nisi hic morte avum præcessisset, fuissent consecuturi. Quamobrem excogitarunt *repræsentationem* qua intermediorum parentum vel naturali vel civili morte deficientium vices subeundo, eandem ex avi hereditate sortiuntur portionem, quam eorum superstes parens fuisset accepturus. JO. A SOMMERN & IOH. CHR. HEROLD *in tract. de repræsent.* Obtinuit exinde successio in stirpes §. 6. *&* §. 15. *I. de hered. quæ ab intest. Auth. in successionem C. de suis & legitimis*, qua plures nepotes ex una linea descendentes genitoris sui jure ad avitam vocati

cati hereditatem deficientem parentem repræsentant, quasi omnes unus essent. *L. 7. ff. de Collat.* Ex eo enim nati, cum hoc solo ad avi admittuntur hereditatem, portione quæ aliter parenti debita fuisset contentos esse eos oportet; nec plus prætendere possunt, quam iste accepisset; unde omnia, quæ parens ex avitis bonis præcepit, rursus conferre jubentur. *Nov.* 118. *cap.* 1. Jus autem ex propria sua persona succedendi, plane habent nullum, quamvis id ex *cit.* §. 6. *l.* extorquere, nonnulli voluerint. Quorum sententia quidem facillime exinde everti posset, quod posito jure nepotum proprio, necessario * inter illos paribus cum patruis passibus ambulantes, avi hereditas in capita, non in stirpes foret distribuenda, contra expressa *cit.* §. 6. *l.* verba: *non in capita, sed in stirpes.* conf. *L.* 2. *C. de suis & legitim.* Sed ne inanibus ictibus aërem hic verberare videamur, commodius hæc disputatio excutietur infra cap. 11. continemur enim adhuc specie, qua nepotes parentum heredes existentes partem ex avi hereditate apperunt. Quemadmodum autem pro propriæ suæ personæ obligatione, quæ ipsi ab avo præceperunt, rursus ab iis inferri, æqualitatis jubet ratio, *L.* 1. §. 5. *h. t.* ita prout parentum facta omnia præstare, nec minus quoque quæ in illum futuræ successionis vice ex ævi hereditate transierant, rursus

cum

* Quamvis ut verum fatear, tota repræsentatio nitatur lege civitatum civili, jurique naturæ stricte certe dicto incognita sit, ut recte BOECLER ad *L. II. Cap. VII. §. 6.* GROTII *pag.* 255. adde de æquitatis specie PVFEND. *IV. XI.* 12. *J. N.*

cum coheredibus communicare, eos teneri, ex communi heredum indole satis constat.

§. V.

Quis a collatione immunis?

Adstrinxit Imperator *Nov.* 118. conferendi necessitati solos descendentes, collateralium æque minus ac adscendentium collationis nullam plane facit mentionem; extranei nunquam admittuntur, nisi expresse eos defunctus suo elogio honorare voluit, unde ad hos omnes collatio plane pertinere non potest. Vocatis quidem per *d. Nov.* 118. *cap.* 2. mortalitatis ordine retrogrado * ad descendentium hereditatem adscendentibus omnibus, licet inter eos certis speciebus, v. c. inter avum.aviamque paternæ, & solam aviam maternæ lineæ hereditas sæpius per repræsentationis modum dividatur, imo eadem in his, quæ in descendentibus, pro collatione militare videatur æquitatis ratio: repræsentationem tamen uti revera inter illos non obtinet, *Auth. defuncto C. ad SCtum Tertull.* ita æquitatis iste color statim ac rem inspexerimus evanescet. In liberorum enim favorem tantummodo æquas servare partes & inter eos solos obtinere collationem voluerunt LL, sive quod in trito est: *amor non adscendit, sed descendit;* sive quod morte non adeo frequenter perverso ordine adscendentes ante minorum fata abripiente, inæqualitas exinde metuenda rarior. Quæque ex his subsit ratio, contra jurium intentionem

* Vnde quondam BVLGARVS in funere filii: Ordine turbato succedis Bulgare nato p. 128. ap. PANZIROLL.

tionem conferendi obligationem ad adſcendentes extendere nefas habendum. Tantum autem abeſt, ut ex transverſæ lineæ cognatis cogi quis posſit, ea quæ â fratre, avunculo, aut ejusmodi alio, dotis, donationis, aut alio ſimili titulo accepit, rurſus in medium proferre, ut potius exinde fere pro accipiente inducatur præſumtio, voluiſſe defunctum, ut data habeat ſervetque præcipua. Longe enim minor adeſt ratio, quæ æquitatem inter laterales, quam quæ inter adſcendentes, ſervari ſuadeat; hosce ſine juſta & legitima cauſa præterire prohibuerunt LL. illorum autem præteritio, excepto unico turpis inſtituti heredis, vel levi macula laborantis caſu, nullam inofficioſi operatur querelam. *Nov.* 115. *cap.* 3. Cæterum inter conjuges omnis civili jure ceſſat collatio, niſi vel teſtator ita expreſſe juſſerit, vel locorum conſuetudines aliud receperint, uti de Saxonia docet THOMASIUS *in not. ad Huber. pag.* 374. *&* *illuſtris* BERGERUS *in Reſol. Leg. obſtant. pag.* 584.

§. VI.

Per digitos autem ita enumeratis iis, qui conferre, quive non conferre teneantur, ne nimium extra oleas vagari videamur, eo redimus, quo egreſſi eramus, & cum demonſtratum dederimus, collationis oneri nepotes conferendi obligationi eſſe adſtrictos, in cujus gratiam conferant, jam erit deſpiciendum. Generalis in *L.* 1. §. 5. *ff. h. t.* traditur regula: *quod collationi toties ſit locus, quoties is, qui eam petit* incommodo *afficitur atque injuria L.* 10. *ff. h. t.* Argumenti itaque cardo hic *Cui conferatur?*

 in

inhæret quæſtioni: quis iſte ſit, qui de injuria poſſit conqueri? quod ex Gentium juris principiis nemo poteſt, quam ille, cujus perfecto & quæſito derogatur juri. * Atqui ex confraternitatis privilegio jureque eorundem ſacrorum, ſatis evictum, præter deſcendentes ex eadem ſtirpe neminem conferre; jura autem in ſucceſſionis argumento cum regulariter ſint reciproca, firmo exinde conſequutionis filo conſequitur: nemini ex adverſo conferri, niſi qui iterum recta ab eodem deſcendit linea, cum his ſolis hereditatis pars detrahi dici queat, quibus talem aſſignarunt LL. Mirum vero in modum agitari hic ſolet quæſtio: an nepotes tantummodo cum patruis thiisque concurrentes, an & cum ſolis aliis nepotibus vocati, conferre teneantur? Cum thiis enim in avita hereditate ſuccedentes, quin omnia ab avo quondam ad patrem aut ad ſe profecta conferre eos oporteat, extra dubium ponit. *L. 17. & 19. C. h. t.* Thii enim proxime avum attingunt, hi vero interjecto demum genitore ex eodem deſcendunt, unde

* Recte quidem pro J. N. & G. principiis ita injuria poteſt definiri. Sed alia hic incidit quæſtio: an de J. N. & G. injuria alteri liberorum ab altero qui aliquit præcepit, dici poſſit illata? R. nec de J. N. nec de jure Gentium (etiamſi mores inter Gentes receptos J. G. dixeris) poteſt. Ignorat enim utrumque ſucceſſionis omnia jura, conſuetudo inter gentes quoque recepit jus primogenituræ. Vnde injuria hic tantum pro juris civilis principiis determinanda, pro quibus Prætor talem in hoc argumento tantum dixit damnum per bonorum poſſeſſ. emancipatis conceſſam ſuis allatum *L. 1. §. 5. ff. & L. 10. de B. C.* Juſtinianus autem talem putavit omnem *inter liberos quoscunque inæqualitatem Nov. 18. Cap. 6.*

unde illorum causam potiorem esse constat. Aliter res non sine specie se habere videtur inter solos nepotes, BARRY *de S. ab J. L.* 14. *tit.* 4. *num.* 5. & BERLICH. *decis.* 247. *num.* 3. *&* 4. Par omnium inter eos ac æqualis ratio, nec gradus ullum superest discrimen, unde ÆQVITATI quam maxime convenire videtur, virilis ut cuilibet sua assignetur portio. Sed licet vix abnui possit, majorem priori quidem casu adesse æquitatis rationem, proximitate patruorum succedendi eorum jus prius reddente: attamen præponderans horum favor neutiquam jura mutat, cum plures ex diversis fratribus nati nepotes semper repræsentationis jure veniant. *L.* 2. *ff. de suis & legit.* & quotquot eorum ex una linea descenderint, non pinguiorem accipiant portionem, quam si OMNES VNVS esset, ut exserte in *L.* 7. *ff. de Collat.* Vnde legis ratione eadem existente, præstat eidem quoque inhærere dispositioni legis. vid. *L.* 17. *&* 19. *C. h. t. & Nov.* 118. Imo & æquitati quam maxime consentaneum, ut cum solis consobrinis æque ac cum patruis, sive cum patruis & aliis nepotibus, simul concurrentes, nepotes conferant, * cum utroque casu eadem collationem suadeat ratio, quod copiosius exponit VOET. *ad ff. h. t. n.* 4. *in fin.* ubi simul de exceptionibus, quando scilicet soli adsint ex uno parente prognati nepotes, sive licet ex diversis orti per statuta tamen non in stirpes sed in capita ad avitam vocentur hereditatem.

§. VII.

---

* Paucis: nepotes emancipatorum non exemit Prætor. Nepotes suorum non exemit Justinianus. Ergo nulli nepotes possunt ostendere privilegium.

§. VII.

Collationis objectum.

Res in collationis definitione §. 3. a parentibus vivis in liberos PROFECTAS conferri cum asseruimus, facile indagare licebit: quæ bona conferendi subsint necessitati. Vnice scilicet tantum respectus haberi debet: an bona conferenda PROFECTA fuerint ex ejus bonis, cujus de hereditate agitur. *L.* 17. *versic. ut in dividundis & L.* 19. *versic. quam pro eo &c. C. h. t. Nov.* 18. *cap.* 6. *Bartolus consil.* 190. Elicitur exinde, nepotum collationem tam late patere, ut comprehendat ea omnia, quæ vel sibi, vel suis parentibus ab adscendenti elargita sunt, in cujus hereditate dividunda postea de collatione quæstio movetur. Vtrumque enim tam quod nepos ipse, quam quod parens ejus præcepit, ex bonis profectum, & hereditatis massam in coheredum insigne præjudicium imminuit, adeoque pro servanda æqualitate ad eandem referri debet. Sed dotis, inquis, & donationis propter nuptias in citatis LLbus tantum diserte fit mentio, illasque solummodo conferendas, si profectæ fuerint, edocemur; enimvero in Nov. 18. disertis verbis jubet Imperator: ut conferri debeant OMNIA data; * qua novissima sanctione permoti jurium interpretes collationem extra dotis & donationis propter nuptias fines, ad omnes profectiorum bonorum species extenderunt. Nec absque sufficienti ratione; *lege* 20. enim *C. h. t.* regula exstat: ut omnium, quæ in quartam imputantur portionem, in collatione quoque habenda sit ratio;

* Imo & ita jam olim Prætor, qui PROFECTITIO peculio plane omnia filii bona complectebatur.

tio; quam usum fori sequi integro Facultatis Viteberg. responso probat *Berlich P. II. decis. 247. n. 28. & Brunnem. ad L. 91. ad L. falcid. & ad L. 49. ff. de inoff. test.* Pro cujus dispositione citra omnem difficultatem determinari potest, quæ â scopo nostro non adeo aliena est quæstio: an ea tantum conferenda â nepotibus, quæ *immediate* ad eos ex bonis illius de cujus hereditate agitur, pervenerunt, an etiam ea ad communem massam referenda, quæ per parentes suos ab avo, adeoque mediate ad eosdem profecta? Casus est: Avus Titius, relictis duobus filiis, & ex filia, quæ morte eum præcessit, nepotibus defunctus, nubenti dum in vivis erat filiæ in dotem dederat. Pro jure in loco statutario dos apud superstitem maritum remanserat, & eo statim post Titium mortuo ad nepotes pervenerat, qui de ejus collatione postea in avitæ hereditatis petitione admoniti, contra hanc se defendere nituntur exceptione: quod dos quasi mediante tertio ad se demum pervenerit, nec bonis profectitiis adeo annumeranda. Sed parum eadem erunt tuti; in patris enim manibus dos versata profectitii peculii naturam atque indolem exuisse dici non potest, multo vero minus hoc nomine â conferendi necessitate eximi * Deinde in legitimæ portionis imputatione proximæ causæ non solummodo habetur respectus, sed intermedia quoque admittitur talis, adeo ut sufficiat, si solummodo ex bonis ejus, â quo relinqui debet, profecta, licet non sine ambagibus ad eum, cui debetur,

Conferre quoque tenentur nepotes, quæ mediate ex avi bonis ad eos pervenerunt.

* Vide regulam generalem in L. 7. versic. *sed & ipsi ff. h. t.* & LAUTERBACH *§. 13. disput. de dot. collat.*

betur, pervenerit, arg. *L.* 3. §. 19. *ff. de bon. libert. L.* 30. §. 2. *C. de inoff. test.* & ita quoque in illustri causa Johannæ de Merode, Comitissæ Frisiæ orientalis, judicatum refert CAROLUS de MEAN *ad jus* LEODIENS. *Part.* 1. *Observ.* 78. *n.* 12.

§. VIII.

Pro communi Dd. sententia attendi quoque debet in profectitiis causa & titulus.

Neque tamen in *L.* 20. *C. h. t.* ex legitimæ portionis materia, ad collationis argumentum transcripta regula tam late patet, ut nullum ea plane patiatur exceptionem. Impeditur quidem statim quo triens vel semis pro diverso liberorum numero in eos profecta intelligitur, omnis inofficiosi querela, ast si de conferendi necessitate quæstio, pro communi Dd. opinione præter eam, qua id quod conferendum est, *profectum* dicitur qualitate, attendi quoque *debet causa & titulus* quo fuit profectum; siquidem inquiunt, quæ ob causam sive dotis, sive donationis, sive paterni præsidii data sunt, conferri omnia debere, extra dubii aleam longe ponere. *L.* 17. & 19. *C. h. t.* Simpliciter vero donata quæ *sine causa* dicere sueverunt *data*, collationi neutiquam subesse, satis evincere *L.* 13. *C. h. t. Car. Mean. ad J. L. P.* 1. *obs.* 78. *num.* 7. Neque vero minus attendendum esse titulum quo profecta acceperint ii, â quibus ut conferant petitur. *Idem d. l. num.* 8. BARRY *de success. lib. XIV. tit.* 4. Conferenda quippe omnia, quæ titulo inter vivos, titulo in liberos profecta, e contrario collationi sub ducuntur, quæ ultima voluntate vel legati, vel fideicomissi, vel mortis quoque donationis titulo ex bonis illius, de cujus hereditate agitur emanarunt.

runt. *L.* 1. §. 17. *in fin.* & 19. *ff.* *L.* 10. *c. h. t.* VINNIUS *cap.* 14. §. 4. *de collat.* Sed uti hæc omnia collationis argumentum non tangunt, cum per ejus *definit. supr.* §. 3. *in fin.* inter vivos profecta, tantum hujus loci sint: ita quoque distinctio inter data ob causam, & sine causa, post *Nov.* 18. *cap.* 6. cum utrumque æque sit conferendum, nisi testator aliter expresse voluerit, nulla attentione adhuc digna.

§. IX.

Parentibus quemadmodum in collationis onere sustinendo nepotes omnibus numeris æquiparavit *Nov.* 118. *cap.* 1. adeoque quoad successionis collationisve jura post eam vix ullum inter eos intercedat discrimen: ita vel tribus expediri potest quæstio: quibusnam in casibus collationem subire recusare possint nepotes. Scilicet eædem quæ parentibus, his quoque competunt exceptiones. Atqui vero omnia data conferre debent parentes, præter ea quæ testator collationi ipse subducere ac præcipuum haberi voluisse expresse declaravit. Ex prisci quidem juris sanctione in peculiarem causæ favorem a collatione exemta erant bona quæ ex Martis *L. ult. C. h. t.* aut ex Minervæ *L.* 1. §. 15. *ff. h. t.* castris erant reportata; quod & hodie usu servatur, sed eo minus singularis quid continet, cum adventitia omnia v. c. quæ a matre vel avia acceperunt filius aut nepos paterno subsint arbitrio, neque exinde in collationis discrimen possint vocari. An vero conferri debeant a parente vel avo ad utramque militiam vel togatam vel sagatam data, quæstio est ab ullo inter-

A collatione quæ excipiantur?

An data ad militiam conferenda?

interpretum vix omissa, a contrariis tamen disputationibus hactenus nondum satis vindicata. Affirmat enim eandem *L.* 30. *§.* 2. *Cod. de inoff. testam.* Negat *L.* 50. *ff. fam. hercisc.* addita cautione: nisi parens animo credendi dederit. Vnde binæ leges quæ sibi contradicere videntur, facili conciliari possunt negotio; a parentis enim vel avi, quorum arbitrio id relinquere voluerunt leges, pendet dispositione: utrum liberos *velint* jubere ejusmodi data conferre, nec ne. Alias vero Dd. litem inter se hac de quæstione ortam ita componere *voluerunt*, ut dixerint, conferendi necessitate ad studia vel militiam data obstringi eatenus, quatenus non mere alimenta contineant. Sed neque hæc regula omni exceptione latior. Vnde longe satius videtur pro toties dicto Novellæ 18. placito dicere: *omnia conferenda quæ testator expressa voluntatis declaratione eximere noluit, ex adverso exemta esse omnia, quæ testator declaravit expresse pro talibus.* * Pro cujus regulæ tenore facile quoque solvendæ quæstiones: an collatio non remittatur in speciebus, si v. c. lytrum ** a testatore vivo pro redi-

* Videtur quidem *Nov. 18. cap. 6. in fin.* quæ olim a collatione exemta rursus eximere in verbis: *omnibus quæ prius &c.* Sed cum in verbis ultimis: *manentibus si res suas &c.* (quem textum agnoscit Glossa) illa, quæ parentes *expresse diviserunt* inter liberos, præter castrensia & quasi castrensia singulariter a Cæsaribus privilegiata, Justinianus nihil videtur eximisse.

** Lytri exemtio non tantum ex naturali pietatis amorisque paterni affectu defendi potest, sed quoque ex *L. 17. Cod. de postlim.* ubi matri plane interdicitur pecuniæ pro lytro datæ repetitio. Atqui in hac specie eadem in utroque parente adest ratio.

redimendo ex captivitate filio vel nepote ſolutum, ſi pecunia pro comparanda dignitate * pro emendis titulis codicillaribus, pro conſequendo eccleſiæ beneficio, aut conciliandarum ſplendidiorum nuptiarum cauſa data, ſi ſumtus in filii nuptias elargiti, aut in augmentationem ac meliorationem bonorum impenſi? Scilicet in his omnibus reſpiciendum: quæ teſtatoris expreſſa ſit voluntas? qua deficiente pro Nov. 18. diſpoſitione nihil citra injuriam collationi ſubtrahi poteſt. De omnibus ſigillatim longe elegantius quam noſtræ vires patiuntur, multumque copioſius uberiusque quam tractationi poſiti limites permittunt evolvi poteſt Illuſtr. BERGERVS *in O. I. pag.* 497. *ſeq. & in Reſolution. Leg. obſt. pag. m.* 587. VOET. *ad h. t. n.* 7. 8. VINNIVS *de collat. cap.* 10. 11. Reliquæ vero quæ hic occurrere aut moveri poſſunt quæſtiones: an ſcil. nepotes a parentum hereditate abſtinentes, nihilominus in avitæ hereditatis aditione patruis, quæ parens delibaverat, rurſus conferre teneantur? It. an ea quæ credidit filio, aut pro eodem ex fidejuſſionis capite ſolvit, avus cum coheredibus rurſus communicare debeant? binis inſecuturis tractationis noſtræ capitibus excutientur.

* Cecidit per *Nov. 18. & L. 1. §. 15. ff. h. t. it. L. 30. §. 2. C. de inoff. teſtam.* diſtinctio: an datum quid ad dignitatem, quæ rurſus vendi poteſt, an ad dignitatem onus tantum continentem emendam datum. Nam d. Nov. omnia tantum æſtimat ex voluntate parentis expreſſa.

§. X.

Quomodo collatio fieri debeat?

Conſiderandus autem adhuc ultimo loco venit modus: quo collatio fieri debeat. Res omnis eo redit: ut bona præcepta, & in futuræ hereditatis vicem profecta, ad reliquam hereditatis maſſam revertantur rurſus, omnisque ita bonorum ſubſtantia ad eundem ſtatum, ac ſi nemo aliquid præcepiſſet, reducatur. Quod vero an vere, per ipſarum rerum collationem an per fictionem jure probatam fiat. parum intereſt, cum utraque ratione idem obtinetur affectus. Poſſunt itaque collatione nepotes fungi, vel rem ipſam inferendo *L.* 1. §. 11. *&* 13. *ff. h. t.* vel tantum minus accipiendo, quantum majorem partem omiſſa collatione eſſent percepturi *L.* 1. §. 12. *ff. h. t.* aut denique de rebus cum coheredibus communicandis vel reis vel pignoribus cavendo *L.* 1. §. 9. *ff. h. t. L.* 1. §. 7. *ff. de collat. dot. arg. L.* 17. *C. de ſolut.* Ex his enumeratis, quemcunque ſibi velint eligere illorum arbitrio permittitur, cum quivis ad ſervandam ſufficiat æqualitatem. Neque adeo quidem neceſſario requiritur: ut res ipſa rurſus ab iis inferatur *Berger in Oec. Jur. pag.* 498. *n.* 4. quam tamen ſi in medium protulerint deterioratam, æſtimatio an ex conceſſionis ſive ex eo, quo profecta res fuit, tempore, an vero ex mortis ſeu faciendæ collationis momento inſtituenda ſit, quæſtio videtur non adeo plana atque expedita, quæ altiori non indigeat indagine. Quisquis tamen lapis in quo negotium hæreat, removeri facile poteſt, collationis quæ antiquo Prætorio jure erat, faciem â forma, quam novum jus ei induxit, ſedulo ſecernendo

nendo. Ex veteri enim variæ ſubtilitates in Pandectarum & Codicis compilationem irrepſerant, quæ reiterato novarum conſtitutionum ſtudio ſenſim erant removendæ. Antiquo jure cum emancipati quæ ſibi conquiſiverant una cum profectis, & ita utrumque peculium & adventitium & profectitium in unam maſſam conglutinatum conferre teneretur, ſumma cum æquitate ſancierant leges: ne in collationem venirent, ea quæ ſine illorum (emancipatorum ſcil.) dolō aut culpa perierint. *L.* 1. §. 23. *ff. h. t. L.* 2. §. 2. *ff. h. t.* Emancipatos igitur (qui bona ſua acquiſita cum profectitiis ſemper conferre tenebantur) ultra ea quæ in ipſorum * bonis tempore quo parens fati munus implevit, nihil rurſus ad hereditatis maſſam referre debere, recte dicitur in *L.* 6. *C. h. t.* Filiis autem in poteſtate retentis plenum eorum, quæ acceperant dominium, parentis mors demum concedebat. *L.* 25. *C. de donat. int. vir. & ux.* Nec periculum ad eos ullum pertinere potuit, ſed mortuo demum parente tranſiit. Vnde ſatis manifeſto liquet: quod pro antiqui juris diſpoſitione, ſive emancipatus ad hereditatem veniat, ſive in poteſtate adhuc conſtitutus, conferendorum æſtimatio in utroque caſu ſit inſtituenda, attemperandaque

* Cur Prætor conferre non jubet quæ emancipatus ſuo labore quæſivit, quæque deinde perierunt caſu? Reſp. quia in hac ſpecie damni, vel ſi mavis, injuriæ cauſa non eſt Prætor, ſed caſus fortuitus. Ceſſat autem hæc ratio jure Juſtinianeo; Juſtinianus enim proprio jure quæſita, plane non juſſit conferri. Ego nec Paullus in *L. 2. ff. §. 2. h. tit.* Prætoris rationem vidit. Sed vera ratio in *L. 1. §. 5. h. t.*

que ad ſubductum calculum eorum quæ moriente parente aut avo exſtiterint. Pariter quoque ex *L.* 20. *princ. verſic. ut lucrum C. h. t. &* *L.* 30. §. 2. *C. de inoff. teſtam.* tantum conferendum adhuc hodie videtur, quantum filius ex dato tempore mortis parentis habere potuit. Sed cum in genere *Nov.* 18. *cap.* 6. hæc ſileat, imo potius in genere omnia data conferenda jubeat, conferri quoque debent omnia ea quæ ex defuncti bonis fuerunt profecta, §. 7. ſupr. exſtent adhuc, an caſu perierint, parum adtenditur.

CAPVT II.
DE
NEPOTE A PARENTIS HEREDITATE ABSTINENTE, ET NIHILOMINVS CONFERENTE.

§. I.

Connexio. SVi parentis heres exiſtens nepos, quod in avitæ hereditatis diviſione quæ defunctus parens præcepit rurſus conferre debeat patruis aliisve coheredibus, adeo in promptu eſt, ut diſputatione ulteriori non indigeat. In univerſum enim in defuncti parentis ſuccedit jus, & hereditatem, quam nemo ſcindendo tantum pro parte acquirere poteſt. *L.* 1. *ff. de A. vel o. H.* adeoque commoda etiam & incommoda omnia ſimul in ſe ſuſcipere tenetur. *L.* 10. *ff. de R. J.* adeoque ratihabendorum parentis factorum obligatio, una cum heredis quam ſortitus eſt perſona ad eum tranſiit. *L.* 3. *ff.* §. 7. *N. G.* Omnibus exinde ex quaſi contractu cre-

creditoribus obligatur. *L. 1. ff. de auctor. tutor. L. 3. §. ult. quib. ex caussis in poss.* multo magis conferendi necessitati adstringitur, cum pro una cum defuncto habeatur persona. *Nov. 48. princip.* Accidit autem sæpius, ut adversæ fortunæ successu, aut nimis exiguo parentum parcendi studio, quo ingrata ingluvie avita bona stringunt, post eorum mortem ad eum statum res sint perductæ, ut plus incommodi, quam utilitatis ex iis sit sperandum; tunc vero, ne præcipiti & temerario ausu paternam hereditatem adeuntes, nepotes enorme sentiant damnum, illud iis leges concesserunt beneficium: ut â paterna hereditate abstinentes, avitæ solummodo hereditatis petere possint possessionem. *L. 3. §. fin. C. Vnde liberi, arg. L. 7. §. 2. de A. vel O. H. L. 8. & 9. de jure delib. §. 5. J. de hered. qualit. & different.* Qui textus, quamvis in genere tantum de bonorum possessione & jure deliberandi omnibus heredibus competenti loquantur, sine ullis tamen difficultatibus ad nepotes quoque possunt applicari; imo & nepotibus expresse eadem concedit *L. 7. §. 1. ff. de A. vel O. H.*

Nepotes possunt, a parentum hereditate abstinentes, avo succedere per B. P.

§. II.

Quo abstinendi a paterna, & nihilo secius fruendæ per bonorum possess. avitæ hereditatis jure usi nepotes, an quæ parens præcepit, rursus tamen inferre teneantur, quæstio est vexatissima, quæ tam ancipitem cogitandi curam interpretibus attulit, ut legibus de speciali hac specie non satis distincte loquentibus, mox negando in hanc, mox vero affirmando rursus in illam fluctuent

Ratio tractandi hujus capitis.

 par-

partem; in quo doctissimorum virorum dissensu ne auctoritatum studio abripiamur, haud inconcinne fecerimus, cum argumenta ex utraque parte in medium prolata, ad Romani patriique juris normas accommodando, & ita ad lydium quasi lapidem exigendo altius repetierimus, ut cujus sententiæ vestigiis inhærendum sit, clarius exinde patescat.

§. III.

Argumentum quod contra nepotum abstinentium collationem militat, est jus eorum avo succedendi proprium; quod elicitur.

Communissima autem solet esse doctrina: nepotes a parentum hereditate abstinentes in avitæ hæreditatis aditione collationi non adstrictos esse. CAR. MOLINÆVS *Conf. Tom.* I. *Conf.* 35. *n.* 26. STRYCK *de succ. ab intest. Diss.* II. *Cap.* II. Proprio enim illos suo venire jure ad avitam hereditatem, neque adeo nisi ex propria persona sua conferre teneri. STRYCK & MOLINÆVS *d. l.* CAR. RVIN. *Consil. Vol.* II. *Conf.* 206. *n.* 3. Delapsi in hanc opinionem videntur ex perversa interpretatione §. 6. *I. de Successs. quæ ab intest.* quem distinctione subtiliter excogitata, in eum contorserunt sensum: quasi nepotes non parentis PERSONAM sustineant, sed tantum in eius GRADVM intrent; adeo, ut sicuti filius primum tenuerat gradum, ita nepos quoque illius persona subducta eundem teneat gradum, neque ex parentis sed propria sua veniat persona. BARTOLVS *ad L.* 2. *C. de liber. præter.* ANT. FABER *in Cod. Sabaud. lib.* 3. *tit.* 3. *def.* I. *n.* 4. & post eum CARPZ. *Part.* 3. *Constit. XI. def.* 33. STRYCK. *de S. ab I. pag.* 1120. & *in V. M.* §. 3. *h. t.* LAVTERB. *in Coll. maj.* §. 9. *h. t.*

I. Ex §. 6. J. de hered. quæ ab intestato def.

§. IV.

§. IV.

Porro proprium nepotibus exinde adstruitur jus, quod parente in avi ultimo elogio instituto quidem, sed eo ante avum mortuo, nepotes non expresse exheredati ab avo, ejus rumpant testamentum. *L. 2. Cod. de liber præter.* Vti autem manifestum hic esse videtur, quod ex propria sua persona avitæ hereditatis pars tribuatur nepotibus, ita parenti quod incubuit onus, ad eos spectare non potest, quia eadem conferendi quæ succedendi ratio esse debet. *L. 1. §. 8. ff. h. t.* *II. Ex L. 2. C. de lib. præter.*

§. V.

Deinde nepotibus jus proprium competere exinde videtur, quod exheredato parente, nihilominus ad avitam hereditatem admittantur, licet in ultimæ voluntatis conscriptione nullam eorum avus fecerit mentionem. *L. 1. §. 4. de conjung. cum emanc. lib.* BARRY *de success. lib. XIIX. tit.* 1. *n.* 4. Vnde BARTOLVS *ad l. 2. c. de lib. præter* & BALDVS *ad L. fin. C. h. t.* inferunt: Ergo nepotes privative, sive ex propria persona, remoto scilicet, quod initio obstabat parentis repagulo, non vero ex transmisso ad eos per parentes jure succedunt, per *L. 20. §. 5. de liber. & posth. & L. 13. versic. incipit. nepos neptisve ff. de injusto rupto &c.* Vivo enim filio non debetur hereditas, qualis avi dum in vivis erat esse non potuit. *L. 1. de hered. & act. vend.* quæ adeo ab eo ad nepotes transferri non potuit. *L. 54. de R. I.* multo minus autem conferendi necessitas per supra cit. *L. 1. §. 8. h. tit.* *III. Ex L. 1. §. 4. de conjung. cum emanc. lib.*

§. VI.

IV. Exinde, quod parentum facta renuntiatio, non praejudicet nepotibus.

Denique autem proprium nepotibus adserit jus CARPZ. *dec.* 165. *num.* 16. quod parentis non superstitis renunciatio, nepotes haud excludat ab avi hereditate. Legum enim dispositionem illis portionem ex eadem assignasse; *L.* 7. §. 1. *ff. de A. vel O. H.* juri autem, vel beneficio a lege concesso, per alterius renunciationem non debere fraudem inferri, arg. *L.* 22. *ff. de Adoption.* Vnde nepotum jus proprium tanti roboris esse: ut nequidem a parentibus arte & machinationibus adhibitis possit supplantari. Idem tandem probari posse videtur argumento: quod nepos a parente exheredatus, avo nihilosecius succedat. *L.* 10. §. 1. *ff. de bonis libert.*

V. Ex L. 10. §. 1. ff. de bon. lib.

§. VII.

Sed respondetur 1. ad objectionem Fabri ex §. 6. J.

Quae argumentationes omnes, quamvis sententiam eorum, qui nepotum jus in avitae haereditatis aditione proprium esse dicunt, satis firmare haud exigua specie videantur: ad veritatis tamen trutinam si easdem revocaverimus, non tantae sunt, quae in suas partes plane nos rapere possint. FABRI enim, & coeterorum cum eo facientium distinctio, qua PERSONAM & GRADVM mera cogitationis subtili speculatione dirimere contendunt, quae in collationis argumento revera ut separata non concipi possunt, propter manifestam aequitatem quippe & aequalitatem, rationibus nititur, sua acuta ineptia evanescentibus. Nullum distinctionis GRADVS & PERSONAE in legibus occurrit vestigium, nisi in ejusmodi sensum verba §. 6. *I. de hered. quae ab int.* contorte & subtiliter fue-

fueris interpretatus; cujusmodi ſubtilitates omnes ex omni collationis tractatione expunctas voluit Imperator *L. 19. verſic. talem igitur C. h. t.* Ex rationibus potius fere inexpugnabilibus dixeris: etiamſi haud attenderis quod in *Nov.* 118. *cap.* 1. diſertis verbis IN LOCVM parentum ſuccedant nepotes, utique eos parentum ſuorum repræſentare perſonam. Suorum enim 1) heredum jura tunc demum nanciſcuntur, cum eorum parens vivo avo deſierit eſſe heres ſuus, vel morte interceptus, vel alia qualibet ratione a patria poteſtate liberatus. §. 2. *I. de hered. qual. & diff. L.* 13. *ff. de injuſto &c.* Juſſerunt eos 2) leges, quantacunque ſint, ea VNA portione contentos eſſe, quantam eorum parens ſuperſtes fuiſſet accepturus. *Nov.* 118. *Cap.* 1. *verſ. nam in uſu harum &c.* Omnibus 3) ex una ſtirpe nepotibus, VNA TANTVM ex bonorum poſſesſione portio aſſignata, pro eadem conferendi neceſſitas ab iis requirit, ut conferant quaſi omnes VNVS eſſent. *L.* 7. *ff. h. t.* Quæ omnia vix admittenda viderentur, ſi proprio ſuo venirent jure, quo caſu ſinguli nepotes in eosdem cum patruis ſuis gradu collocati, æquis cum iſtis ſuccederent portionibus; quin imo conſtitutis hac ratione tot partibus quod capita eſſent omnis in ſtirpes ſucceſſio plane concideret, neque ulla textuum pro eadem militantium ulterius habenda ratio. Imo hoc modo collatio omnis quam facillime everti poſſet, quare haud ſine ratione ab umbratili Fabri diſtinctione receſſit STRVV. *in Exercit. ad ff. h. t. theſ.* 25. & 40. illamque tanquam a novi juris ſimplicitate plane alienam rejicit BRVNNEMANNVS

in Comment. ad Cod. tit. unde liberi num. 5. pluribusque eandem confecit argumentis in *Comment. ad ff. h. t. n.* 5. *&* 6. Nec qui hujus ſententiæ præcipuus fere auctor fuit atque patronus FABER, quique eidem calculum adjecit STRYCK, ſatis ſibi conſtant, nec principiis ſuis ubique inſiſtunt; ille enim propria vineta cedit, dum in *L.* II. *tit.* 3. *def.* 13. 17. 18. affirmat: nepotem matris heredem non factum, ad dotis tamen, quam ea acceperat, collationem teneri; & in eundem ſenſum fere diſputat in Conject. *lib. XIII. cap.* 12. *in fin.* Hic autem ægre ſua ſententia ſtare videtur, cum in notis ad Lauterbach. ait: *neceſſe tamen eſt, ut in parentum locum tranſeant;* & paulo poſt: *communis eſt opinio, quod nepos licet non ſit heres patris, ex ejus tamen perſona conferat.*

§. VIII.

Removetur objectio ſecunda.

Quamvis autem non adeo abſolute affirmari queat, quod nepotes avi teſtamentum rumpentes ex transmiſſo in ſe a parentibus veniant jure, cum parentes morte avum præcedentes ipſis quod nunquam fuit delatum, ad nepotes rurſus transmittere non potuerunt jus: non tamen plane eorum ſententiæ ſubſcribendum, qui proprio ſuo jure nepotes ad avitam hereditatem vocari contendunt. MODEST. PISTOR. *T.* II. *reſp.* 23. *n.* 23. Ex avi enim hereditate nulla ad eos pars pertinere poteſt, niſi jure ſanguinis, quo ex ejus ſtirpe deſcendunt, per parentem ad eos fuerit devoluta. Vnde non eſſe non poteſt, quin ſemper aliqualis adſit in nepotibus ſuorum parentum repræſentatio, qua ſcilicet

cet efficitur, ne a patruis gradu proximioribus plane ab omni avitæ hereditatis participatione excludantur. Funguntur parentis perſona, & ita utrasque ejus & lucrativas & oneroſas in ſe ſuſcipere tenentur partes vicesque cum pinguius quam parenti competebat jus, tribui ipſis non poſſit. *L.* 3. *verſ. licet Cod. de bonis mat. Nov.* 118. *cap.* 1. Dicitur nepos ad bonorum poſſeſſionem contra tabulas patre ante avum defuncto admitti quia in ejus familia fuit. *L.* 3. §. 7. *de B. P. contr. tabb.* Si vero ex eodem quo parens favore vocatur, pinguiori quam iſte jure gaudere nequit. Neque eſt, quod recte hic nobis objici poſſit *cit. L.* 3. de nepote loqui emancipato filio in adrogationem dato, neque illam exinde ad noſtram quadrare ſpeciem; vix enim termini inter nepotem, qui nunc non in avi, ſed parentis eſt manu, cum eo qualis olim ſub plena avi erat poteſtate, habiles ac omnibus numeris convenientes poni queunt, niſi eum ab avo in adrogationem parenti permiſſum effinxerimus.

§. IX.

Ad tertiam objectionem reſponſio.

Liberi omnes, cum in legitima parte vel ſint conſtituendi, aut ex cauſa a lege adprobata expreſſis exheredandi verbis: poſt ſublatam omnis ſexus & gradus differentiam, idem in nepotibus obtinere, extra dubium ponunt *L.* 28. *princ. & L.* 30. *ff. de exhered. vel inſtit. lib.* STRUVIUS *exercit.* *XXXII. theſ.* 26. §. 1. BERGER *in Oec. Jur. pag.* 371. §. 14. Sed hoc tunc demum plane procedit, ſi neque per conferendi obligationem per parentes ad eos devolutam portio illorum minuatur, de qua ſpe-

ſpecie ſatis in præcedenti hujus tractationis Cap. diſputavimus; neque exheredati eorum parentes avum ſupervixerint, * quo caſu omnis nepotibus denegata actio, per *L. 34. Cod. de inoffic. teſtam. L. 9. §. 2. de liber. & poſth. exher. L. 6. princ. de injuſt. rupt.* Imo prætoria illis præſciſſa remedia. *L. 4. §. 1. de B. P. contra tabb.* Vnde parum accurate diſputant, qui cum Bartolo & Baldo indiſtincte querelam nullitatis adſerunt nepotibus in avi teſtamento præteritis, uti MODEST. PISTOR. *d. Conſ. n.* 8. 9. aliique. Longe verius id negat STRVV. *c. l. n.* 3. ubi non ſolum nepotes ſuperſtitibus ſuis parentibus a nullitatis querela per cit. LL. interdictos eſſe, vel potiſſimum ex ea ratione probat: quod nepos nunquam ſuitatis jura conſequutus, neque vel ab inteſtato venire, neque neceſſaria inſtitutione vocari debeat; ſed ad contraria argumenta fuſiſſime reſpondet, imo denique ſententiam ſuam Fachinæi, Cujacii, Hottomanni, aliorumque teſtimonio, & curiæ Friſiorum præjudicio ex Sandio mutuato obſignat. Cujus veſtigiis, robore argumentorum convicti cum plene inhærendum putemus, ad eundem remittimus, eodem ſtudio ſatis probantes, non ſatis firmiter cohærere doctrinam eorum, qui ex jure reſcindendi quod quibusdam caſibus nepotibus præ-

---

* Rectiſſime HVBER. *§. 5. I. tit. de inoff. teſtam.* filius (i. e. reſpectu avi nepos) nihil juris habere poteſt, ubi PATER PER QVAM *haberc* DEBVIT, *nil ipſe habuit*, v. c. ſi pater agere contra teſtamentum *noluit*, vel *non potuit*, *aut merito ſuo repulſus eſt.* Haud multum aliter STRYCK *Caut. teſt. Cap. XVI. §. 7.* verſ. & quamvis; & diſſ. *VIII. Cap. 10. de S. ab I.* verſ. *quin in ſuis non eſt ſucceſſio.*

præteritis competit, avi teſtamentum, iisdem quoque ex propria ſua perſona ſuccedendi adſtruere jus volunt.

§. X.

Ad quaeſtam.

Sed quod idem evincere ſupra diximus argumentum, quod ſcilicet parentis renunciatio nepotum ſucceſſioni impedimentum non objiciat, ſi accuratius perpenderimus, haud majoris momenti eſſe, ſtatim patebit. Non defuerunt quidem, qui ejusdem poſitionis fidem dubiam reddere veritatemque, quæ licet in ſe ſpectata plane inexpugnabilis ſit in diſcrimen vocare, e contrario autem renunciationi a parente cui hereditas avita nunquam delata erat, effectus quosdam civiles tribuere haud erubuerunt, diſtinguentes: an nepotes factæ renunciationis tempore jam fuerint nati, an vivere nondum cœperint? ut ibi eventum ſortiatur, hic autem corruat renunciatio. HVG. GROT. *de J. B. & P. L. II. c. IV.* §. 10. LEYSER *in Meditat. ad ff. Spec.* 422. *med.* 3. Sed neſcio: an recte & feliciter? poſitis terminis habilibus noſtræ ſpeciei nulla plane vis eſſe poteſt paternæ renunciationis. BERGER. *in Oec. Jur. pag.* 488. Parvulo enim nato & aliquot demum annos, nec ullam cogitandi vel conſentiendi facultatem, niſi eandem ridiculis effictionibus commenti fuerimus, habenti, quod nativitas ſemel deſtinaverat jus æque minus absque injuria extorqueri poteſt, quam naſcituro, quod nunquam hic habuerat. Vnde longe ſatius eſt, communem, cui omnes fere calculum adjiciunt, ſententiam ſequi: renunciationem ſcilicet parentum in bona avi pro ſe ſuisque

heredibus factam, non impedire nepotum successionem, nisi parentibus renunciantibus delata fuerit hereditas. STRUV. *exercit.* 38. *th.* 51. Rationi quæ hic vulgariter reddi solet: quod nempe de hac specie non cogitasse præsumantur parentes, neque ultra eorum voluntatem renunciatio sit extendenda; STRUV. *dict. l.* & ex eo LUDOVICI *ad ff. pag.* 483. longe præponderare videtur ea: quod renunciatio parentis in favorem & gratiam tertii inita, pacto nitatur oneroso. At enim vero hocce pactum sub conditione: si *delata avi hereditas;* suspensum, nec renunciantem prius quam existente ista conditione strinxit, neque ulla igitur ratione ad ejus heredes, sive ad nepotes transire potuit. Satis, ut puto, exinde apparet, quam incongrue & contorte nepotes ex renunciationis a parentibus suis factæ nullitate jus pro sua propria persona succedendi sibi vindicent, quod statim vel argumento patefiet inverso; quodsi enim parentes postquam hodierna praxis pacta successoria approbavit. GROT. *tom.* 3. *pag.* 1543. *apud* LÜNIG. *in Consil.* CARPZ. *Part. III. Concl.* 30. *def.* 4. THOMASIUS *in scholiis ad Huberi prælect. ad l. p.* 231. valide pro se & pro omnibus suis heredibus renunciant avitæ hereditati in casu: quo ea illis delata fuit; consequens omnino est, nepotes succedendi jura post genitores suos vel deficientes, vel ante avum fato functos consequi, neque ampliora adeo ea quidem habere, quam nativitatis ordine ab illis acceperunt. *L.* 3. *C. de bon. mat. L.* 54 *&* 120. *de R. I.* *

§. XI.

* Alias vid. ex instituto de *effectu* renunciationis parentum respectu liberorum, KELLENBENTZ *qu. XXXIII. per tot.*

§. XI.

Quod vero tandem nepotes a parente exheredati, nihilominus avitæ hereditatis (parenti scil. nondum delatæ) portionem consequantur, rectius ex avi dispositione, quam proprio eorum jure provenire affirmatur. Licet enim ex justis caussis a parente exheredati fuerint, non statim tamen avita hereditate indignos sese reddiderunt. Caussæ enim utriusque hereditatis separatæ: avus exheredationem ab intermedio parente factam non confirmans sive relicto testamento, in quo nulla ejusdem mentionem fecit, sive ab intestato decesserit, eandem remisisse censetur. *L.* 1. §. 10. *ff. de suis & legitim.* Quo fit, ut e medio parente sublato, neque persona, neque elogium ejus amplius obstet, quominus proximus avo nepos adnascatur heres. BARRY *d. tr. lib.* 18. *tit.* 1. *num.* 4. Imo posses dicere: & hoc casu nepotem exheredatum succedere avo ex persona patris sui, & quia hujus filius est. Nec enim pater filium suum exheredans, ipse jus suo patri succedendi amisit, sed ante patrem suum defunctus edicto successorio locum fecit.

Ad quintam.

§. XII.

Sed quis quæso proprium succedendi jus nepotibus esse dixerit, qui sæpius, si avus ita vult jubetque, pro parentum suorum in avum peccatis, pœnam dare, jure adstringuntur. Exempli loco sufficit, in medium proferre *L.* 3. §. 5. *ff. de B. P. contra tabb.* quæ nepotes ex ignominioso matrimonio natos, eamque ob caussam abavo exheredatos, in avi voluntate acquiescere jubet, avo jure

Jus nepotum succedendi avo proprium, abnuunt exempla contraria.

re ſuo utente, nepoteſque exheredante, *ne invito ſibi adnaſcatur heres.* Conf. CVIACIVS *lib. III. Obſerv. cap.* 1. *Surdus de alimentis tit.* 1. *qu.* 38. *n.* 37. Quomodo porro in caſu quo avi hereditas propter familiæ domeſtica diſſidia, per aliquot, ut fieri poteſt, annos jacuit, nepoti poſt avi mortem concepto omnis ſive civilis ſive prætoria actio, qua partem ex avi hereditate conſequi poſſet, denegatur, ſi proprium leges illi tribuerunt in hunc finem jus. Certe cum ab omni avitæ hereditatis participatione ejusmodi nepotes poſthumi * excludantur per *L.* 6. §. 2. *ff. de ſuis & legit. L.* 6. *princ. ff. de injuſt. rupt. L.* 1. §. 8. *ff. Vnde cognati* §. 7. *I. de hered. quæ ab int.* omne quoque quod nepotum ex propria ſua perſona ſuccedendi jus eſſe aut dici poſſet, eadem ruina concidit. Sed poſt ſublatam per *Nov.* 118. omnis gradus ſexusque differentiam, æquitati quam maxime convenire, ut nepoti poſthumo æque ac reliquis liberis ex jacenti avi hereditate pars aſſignetur, contendit STRYCK *in different. jur. vet. & novi p.* 37. ſequutus cit. TIRAQVELLVM & FOESTERVM, quod ſtirpis ſanguinisque aviti jura ad eundem æque ac ad reliquos

Alia ſpecies quod nepotes avo non ſuo jure ſuccedant, demonſtrans.

---

* De antiquo jure hæc vera quidem eſſe ſive filius exheredatus ſive inter rixandum deliberandumque mortuus eſſet, ſatis ſuperque evincunt cit. text. Sed cum Theodoſius jus patris hereditatem adeundi, concesſo in linæa deſcendenti heredibus transmisſionis jure, ad nepotes quoque extendat. *L. un verſ. ſiquidem C. de his qui ante apertas:* hodierno jure poſthumos nepotes, niſi in unica ſpecie: qua præ defunctus eorum parens ab avo fuit exheredatus, vix excludi ab avi hereditate, recte monet Gloſſa ad cit. *L. 6. princ. ff. de injuſto rupto.*

quos per parentem sint devoluta. Ast STRYCKII rationibus occurrit VINNIVS *in select. jur. quæst. pag.* 9. ubi satis probat: nihil ejusmodi in *cit. Nov.* inveniri, quod vetus jus mutatum arguat. Quamvis enim Imperator omnia successionis jura ad naturæ simplicitatem revocare voluerit, in eo tamen maxime vel ipse laudatus VINNIVS *cit. l.* decipitur: quod æquitati ac naturæ consentaneum valde putet, hoc quoque casu antiqua jura esse mutata. Sicuti enim non enti nulla quoque accidentia tribui possunt: ita pari ratione sanum cui sincipat nullum quoque jus esse dixerit ejus, qui nondum exstitit, jure eo, de quo quæstio est, vires suas jam obtinenti. Vnde eo minus ex dicta *Nov.* 118. conjecturis elicere licet: nepotes posthumos ad avi jacentis hereditatis participationem esse admittendos, quo major per citatam a VINNIO *d. l. L.* 15. *ff. de munic. &* DIODOR. TVLDENVM *in Comment. ad Cod. tit. de suis & legit. hered.* religio jurium interpretibus esse debeat, expressam legislatoris voluntatem per præsumtam temere evertere, & ita veteris juris inducere correctionem, cujus antiquus usus manifesto liquet, abrogatio vero ejus, an, quando, quomodo, aut ubinam facta; probari neutiquam potest.

§. XIII.

Concesso jure eo proprio, a collatione tamen non sunt immunes nepotes.

Vt vero tandem in largiendo nos præbeamus faciles, nihil obstat, quo minus concedamus, hodie adhuc, uti olim quidem, nepotes cum suitatis jure, *L.* 7. *ff. unde liberi*, filii emancipati autem cum non nisi Prætoris beneficio venirent, *tot. tit. ff. de* con-

conjung. cum emanc. competere nepotibus jus ex propria sua persona succedendi. Quale vero exinde lucrum commodumve capere, aut qua ratione ita conferendi oneri se subducere queant, determinare vix licebit. Siquidem ipsi primi gradus liberi, neglecto edicti primo capite, ex secundo; unde legitimi, vel tertio quoque; unde cognati bonorum possessionem petentes, conferendi necessitati nihilominus semper manent adstricti. *L.* 1. §. 5. *L.* 6. §. 2. *ff. de Carbon. edict.* Atqui a collatione immunes cognatos plane esse, jam supra Cap. I. §. 5. demonstratum dedimus. Vnde vi contrarii argumenti prono sequitur alveo: quod conferendi onus a cervice non devolvere queat is, qui eum subit gradum, in quo qui constitutus est, semper conferre tenetur, excepto casu: quo testatoris expressa voluntas aliter jusserit. *

§. XIV.

Conferentibus nepotibus, quae parens praeceperat, injuria non infertur.

Neque vero est, ut de ulla iniquitate conqueri possint, qui a paterna hereditate abstinentes, ea quae parens ab avo acceperat, rursus in bonorum communionem inferre, tenentur nepotes. Dura quidem primo intuitu eorum sors videri poterat, quod curta paternae rei supellectili ab ejus hereditatis aditione deterriti, simul hac atque ea quam ex

* Vnde potuissemus toto labore in aliorum refutatione hic consumto supersedere, nisi veritatis cognitio nunquam non jucunda foret. Nam alias in promtu fuisset dicere: *Justinianum Nov. XIIX. Cap. 6.* propter aequalitatem inter descendentes servandam collationem, unica specie: si parens prohibuit, excepta, in universum praecepisse.

ex avita sperare potuerant parte, collationis necessitate & onere priventur, adeoque duplici simul afficiantur incommodo. Ast re penitus considerata, neutrum tale esse probau haud difficile. Primum enim quod attinet prætorio a paterna hereditate abstinendi beneficio adiuti, in eo acquiescere possunt, quod, licet lucrentur nihil, ab obligatione tamen qua externis debitoribus obstringebantur, sint liberi. *L.* 115. *de R. I.* Parciorem vero & ad rem intentiorem, quod defunctum laudare non possint pinguioribus bonis potiti, de adversa fortuna conquerendi argumentum quidem, neutiquam autem vel actionis, vel exceptionis fundamentum in foro habent, imo nequidem pro emergenti damno habere putareque possunt. A genitore enim rerum suarum moderatore, & arbitro, nihil illis fuit debitum *L.* 55. *de R. I.* nec pro detrimento reputari potest: si re quadam carere nos oportet, quam nunquam habuerimus. *L.* 83. *de R. I.* Alterum vero quod spectat, conferendi necessitatem cum bonorum possessionis beneficio conjunxere leges. Nepotes cum parentis vice in avitæ hereditatis commoda succedunt ejusdem onera simul in se suscipere tenentur, per *L.* 12. *&* *L.* 149. *de R. I.* Damnum nullum sentiunt, cum sua sponte bonorum possessione sint usi, argum. *L.* 203. *de R. I.* Vnde nec indignari eos oportet, si plus conferre tenentur, quam acceperint, quia in eorum fuit potestate: an bonorum possessione uti velint, an vero eandem omittere. *L.* 2. §. 5. *ff. de Collat. bonor.* Porro vero, ut silentio transeamus, ex iis quæ prædefunctus parens ab avo accepit

in

in illorum ſuſtentationem atque exhibitionem, probabili ratione plura eſſe impenſa, ex quibus certo adeo reſpectu locupletiores nepotes dici poſſunt, attendendus tamen eo magis erit naturalis iſte pudor ac verecundia, quæ rubore eos ſuffundit, paterna facta præſtare recuſantes. Siquidem collationis commoda, cum tot beneficiis, vita ſcilicet, educatione, alimentorum præſtatione a parente acceptis, a legibus, niſi rependere juſſi fuiſſent; æquitatis tamen dictamen, pietatisque ac obſervantiæ filialis religio, parentis honorem famamque ſuſcipere præcipiunt. Quibus omnibus longe aliter in patruis ſe habentibus, quippe qui nec a fratre deſcendunt, nec ipſi vitam, alimenta, multo minus vero eam, quam filius parenti, reverentiam debent, longe gravius hi ac inſignius paterentur detrimentum, cum ſine diſcrimine ut nepotibus conferant, per *L.* 17. *C. de Collat.* juſſi, non reciprocis quæ in omni ſuccedendi materia eſſe debent, fruerentur juribus, adeoque ex ſua perſona conferre, atque ſimul fratris dilapidantis factum præſtare teneantur. BERLICH. *Part.* 2. *deciſ. aur. deciſ.* 247. *num.* 20. 21. FABER *in Cod. ſabaud. lib.* 11. *tit.* 3. *definit.* 17. CAROLUS DE MEAN *ad Jus Leod. Part.* 11. *obſervat.* 78. *num.* 21. Ut taceam, quod ſicut liberi ſoli ſentiunt paternæ parſimoniæ commoda, ubi cum patruis aut patruelibus communicant; ita nec alios ad paternæ prodigalitatis damni ſocietatem vocare debere eosdem, per famoſam legem: quod incommoda ſequantur eum, qui commoda habet.

§. XV.

§. XV.

Explicatur L. 2. §. 2. ff. h. t. & exceptio exinde nepotibus apparenter competens, removetur.

Parum exinde tutius â collationis onere sese defendere laborabunt nepotes exceptione: se parentis hereditate omissa, ex eadem nihil accepisse, neque adeo quidquam rursus ut inferant, posse teneri, cum collationem boni viri arbitratu fieri jusserit Prætor, vir autem bonus non sit arbitraturus, ea quoque conferenda esse, quæ nunquam quis habuit, neque dolo, nec culpa possidere desiit *L.* 2. §. 2. *ff. de collat.* Ab aliis enim jam satis comprobatum fuit: dictam L. 2. loqui de specie, ubi pro antiquo juris dispositione *bona sua* in medium proferre oportebat nepotem posthumum; quæ ulterius manifestiora reddentur, operæ si quis pretium duxerit, evolvendo §. 4. 6. *&c. ejusd. L.* 2. in quibus dicitur: ejusmodi nepotem tam actionem furti, quam 100. quæ *in bonis* habuit, & fratribus & patruis conferre, vel denique ad bonorum possessionem admissum de iis quæ *in bonis* deteriorata sunt, quæve plane *ex iis* exierint, cavere teneri, Vnde insigni ii errore aberrare videntur, qui dissutam ex omni dictæ legis contextu laciniam, ad eam collationis, quæ hodie est, speciem applicare volunt, triti illius sane obliti dicterii, cessante legis ratione, ejus simul effectum quoque tolli. Siquidem id unice post *Cod.* & *Nov.* jura, hodie in collationis argumento attendendum venit: an ex bonis ejus, de cujus hereditate quæstio est, aliquod profectum sit? *L.* 17. *versic. ut in dividundo;* & *L.* 19. *vers. quam pro eo Cod. de collat.* An porro alteri quod vel natura, vel legibus quæsitum jus erat, vel quoque portio imminuatur? *L.* 1. §. 5. *&* *L.*

 10. *ff.*

10. *ff. h. t.* Ex adverso autem neque in *d. L.* 17. & 19. *Cod. de Collat.* neque in Nov. 118. occurrit ullum discrimen: an ad nepotes eorum, quae parens praeceperat, re vera quaedam pervenerint, nec ne? sed mentione tantummodo in *Nov.* 18. *Cap.* 6. *facta*: *datorum â parente*; concludimus: in genere nepotes quoque juberi *data omnia* rursus communis juris facere. *Voet. ad ff. num.* 4. *h. t.*

§. XVI.

Non recte se a collatione defendunt nepotes L. 1. §. 6. & L. de dot. collat.

Neque vero majori cum effectu collationis onus a cervice excutere contendunt nepotes, provocantes ad *L.* 1. §. 6. & *Lbus de dot. collat.* ubi in casu, quo dotem maritus dilapidauerat, filia dicitur non ulterius ad conferendum adstringi, quam quantum ex eadem ad eam ex mariti bonis pervenire potest, ita ut ad patris, a quo dotem acceperat, hereditatem per bonorum possessionem admittatur, vel meram contra maritum actionem inferendo. Quodsi enim termini ejusmodi exstiterint habiles, ut dos apud maritum absque concurrente filiæ culpa perierit, abnuendum quidem haud est, nepotes ex ea natos, & ejus locum subeuntes, perinde eodem, quo illa jure frui, nec plus conferre, quam ista si superstes fuisset, collatura foret; attamen hæc omnia ultra hujus speciei limites * extendi nequeunt, neque nepotes ad ea provocare possunt, si mater dotem semel a marito receperit, licet ad eos nihil ex eadem pervenerit. Con-

* Imo Justinianus *Nov. XCVII. Cap.* 6. favore DOTIS tantum in gratiam DOTIS singulare quid in argumento collationis disposuit.

Continet enim *L.* 1. §. 6. *&* *L.* 2. citata beneficium, quo pro ea qua in sequiorem sexum munificentia propenderunt LL., succurrere voluerunt ejusdem vel imbecillitati, vel verecundiæ, quæ marito ad inopiam vergente; uxores vetat illata durante matrimonio repetere; vel si ita magis placuerit, matrimoniorum favorem, ut quæ hæc habent, oneribus eo libentiori animo dotem contribuant uxores, & sic uterque conjux prout publicæ æque ac domesticæ rei commodum, quam maxime exigit æqualiter ad liberorum educationem & sustentationem concurrant. At enim vero quamlibet ex hisce rationibus subesse dixerimus, simul quoque fateamur necesse est, privilegium per §. 6. *L.* 1. *&* *L.* 2. *d.* filiabus concessum, & ex sanguinis jure ad nepotes quoque extensum continere tantum exceptionem a regulis *L.* 17. 19. *&* 20. *C. h. t.* declaratis, quæ haud exceptos casus eo majori munimento firmant. Sed instas porro: non adeo est manifestum, an istæ regulæ tam late pateant, ut abstinentes quoque a paterna hereditate nepotes iisdem contineantur. Ast dubio facile obviam itur; uti enim, quod vel ad nauseam disputatum, æquitas jubet, ut patruis nepotes pari ratione uti confertur his ab illis, conferant. *L.* 17. *C. h. t.* ita parum interest: an casus, quo a paterna hereditate abstinent nepotes, in legibus expressis determinatus & decisus sit verbis, nec ne. Generali enim præcepto existente, & regula pro collatione universaliter suffragium semper ferente, contra eos præsumtio pugnat, quam elidere si velint, & ab eadem immunes esse, exemtos se a legi-

 bus

bus ſpecialiter eſſe, probare antea tenentur. *Modeſt. Piſtorius Reſponſ. Part.* II. *reſp.* 23. *num.* 29.

§. XVII.

Quaeritur: An nepotes omnia hereditatis bona conferre teneantur, ut ne quidem legitimam ſalvam habeant?

Sed ex his omnibus manifeſti juris eſſe videtur: ut nepotes, licet a parentis ſui hereditate abſtinentes, in avi tamen hereditatis aditione omnia, quæ parens praeceperat, conferre teneantur. Sed quid ſi tantum parens præceperit: ut conferentes nepotes ne quidem legitimam ex avi hereditate facta collatione, omnium a patre ab avo acceptorum ſervare poſſint ſalvam? an eousque conferendi obligatio quoque ſtringit nepotes? Pro antiquiſſimis Germanorum legibus equidem arbitratus fuerim, plane inutilem moveri hanc quaeſtionem, atque inanem. Teſtamentorum uti nullus per §. 2. Cap. inſeq. h. uſus, ita legitimæ portionis ne quidem noſcebatur nomen. Omnis hereditas ipſo jure ipſoque facto debebatur deferebaturque ſine parentum elogio liberis, quorum exinde portio ne ultimæ voluntatis declaratione imminueretur, nullus aderat metus. Pro hodierni autem juris diſpoſitione res non adeo plana atque expedita. Poſt factam Romani juris receptionem noſcitur in foro legitimæ nomen, receptæque ſimul ex eo plures ſubtilitates. Vnde in diverſas circa propoſitam quæſtionem partes eunt Dd. Pro negativa ſententia in medium profert rationes IOH. A SOMMERN *dict. tract. de repræſent. Cap. VII.* §. 8. 1) quod legitima portio æque nepotibus, ac primi gradus liberis, a

Argumenta pro negativa.

legi-

legibus sit assignata, 2) adeoque ipsis ex proprio suo jure debita, 3) non ab homine, sed ab ipsis legibus decreta, unde 4) neque per avi dispositionem, neque per ullum parentes factum ulla ratione imminui, onerari, multo vero minus plane tolli queat. *L.* 32. *&* 36. *C. de inoffic. testam.* 5) Quod avus legitimæ respectu specialis nepotis sit debitor, argum. *L.* 8. §. 8. *de inoffic. testam. L.* 13. *ff. de injust. rupt. & irrit.* Vnde tandem 6) collationis onus nepotibus eatenus tantum sit imponendum, quatenus plus quam legitimam ex avi hereditate acquirere cupiunt.

§. XVIII.

Ast facilis est ad has objectiones responsio, *Quæ diluuntur.* 1) enim quamvis legitimam ex avi hereditate nepotibus deberi portionem, absolute & inconsideranter abnegare, prope foret nostrarum legum auctoritati, & qui ea nititur, forensi usui reclamare, non tamen hoc absolute citra omnem limitationem admittendam; siquidem a) petendæ legitimæ jus nepotibus parentum suorum demum morte adnascitur, b) leges iis unam eandemque quam vivis parentibus assignarunt portionem, quod copiosius num. 2. & 4. hoc §pho exponetur. c) In argumento computandæ legitimæ, idem quod supra §. 7. 8. hujus Capitis probavimus: nepotes ad avitam hereditatem collectivo vocari nomine, idem inquam hic quoque applicandum. Exceptiones quoque attendendæ eædem; scilicet a) nisi unus pluresve ex una tantum linea descendentes adfue-

fuerint nepotes, b) nisi loci exstiterit statutum, quod in capita vocet nepotes. Qui casus ubi non obtinuerint, non pro capitum, sed pro stirpium numero semper fit legitimæ assignatio. JOH. A SOMMERN *tract. de repræsent. Cap. I.* §. 9. Neque pinguior, quotquot fuerint, illis competit legalis portio. VOET. *ad ff. tit. de inoffic. testam. num.* 48. cum ne quidem ad simplex legitimæ supplementum agere possint, nisi per parentum repræsentationem. MOLINÆVS *Cons.* 35. *n.* 26. FABER *in Cod. Sabaud. lib. II. tit. III. num.* 18. & ex his MEAN *in observat.* 78. *num.* 19. BERLICHIVS *dec.* 247. *num.* 18. 3) & 4) Confitendum quidem est: quod nulla hominis dispositione, absque a legibus adprobata causa facta, sive renunciatione, nepotibus quod pro petenda legitima iis competit jus extorqueri possit, minus tamen recte exinde deducitur, legibus, vt ita dicam, manus etiam vinctas esse, quo minus, æquitatis ratione ita suadente, collationis onus illis imponere possint, quo imminuatur legitima portio, vel plane quoque absorbeatur. 5) Legitima per adumbrationem & similitudinem magis, quam pro rei natura æquiparatur æri alieno. B. THOMAS. *dissert. de legit.* §. 14. Esto autem, avum recte audire legitimæ debitorem; liberare tamen hoc nomine se potest vel alterna vice parenti vel nepoti quoque legitimam solvendo. Nisi enim aliter voluerit, & expresse ultimo suo elogio ita jusserit avus utrique & filio & nepoti tantum in una eademque portione succedendi competit jus *L.* 1. §. 17. *&* 18. *de conjung. cum emanc.* Neque uterque exinde separatam

pete-

petere poteſt legitimam. MOLIN. *d. l.* Sed hac ratione profecto videri poteſt, ut nepotes ſuo jure proprio, parente ſcilicet intermedio ante avum fato functo, legitimam ſemper ſibi ſalvam petere poſſint, cum neque viventis ſit hereditas. *L.* I. *Cod. de act. & hered. vend.* multo autem minus legitima THOMASIVS *diſſert. de legit.* §. 19. Et ita quidem recte de jure Romano, quo hereditas, vel ejus pars, unice ex jure in re poſt mortem eius, de cujus hereditate agebatur, orto poterat peti. Longe autem aliter obtinet, poſtquam per ſtipulationem, aut per pacta de hereditate tertii inita, inter vivos jus ad rem conſtitui poteſt. Quod cum in ſpecie a nobis tractata, utique ejusmodi inter avum & intermedium parentem conſtituta fuerint pacta, imo & eadem eventum & effectum plenum jam ſortita, dato quippe aliquo ab avo, & accepto ab intermedio parente, a nepotibus illa nulla ratione rurſus infirmari aut irrita reddi nequeunt. Vnde tandem quoque, quod num. 6. §. praecedenti adducitur argumentum, ſuapte concidit ſponte, & ſimul exceptis ſalvæ legitimæ, qua collum collationis oneri ſubtrahere contendunt nepotes, facile exinde rejicitur: quod ex avi hereditate non tantum debeatur legitima, quam cum morte ſua iis non ſalvam reliquerit parens, cum patruorum inſigni incommodo, ſalvam efficere nunquam poſſunt. *

CAP.

* Imo uti parentibus ſemel accepta in legitimam imputantur: ita idem fit reſpectu nepotum legitimam ſuam ex perſona parentum petentium.

CAPUT III.

DE

NEPOTE CONFERENTE QVÆ AVVS PARENTI MVTVO DEDIT, VEL PRO EO TANQVAM FIDEIVSSOR, VEL EX CAPITE DELICTI SOLVIT.

§. I.

Transitio. QVam parum in collationis argumento attendendum sit ullum discrimen inter nepotes parentis sui heredes & ejus hereditatem repudiantes, ex iis quæ capite præcedenti a nobis dicta sunt, evidenter intelligitur. Ordo vero, quem nobis proposuimus, tractationis jam requirit: ut pauca adhuc disseramus de specialioribus qui obvenire possunt casibus. Scilicet: an nepotes quoque collatione fungi debeant, 1) si filio avus v. c. pecuniam mutuo dederit, vel 2) pro eodem ex fide qua se obligaverat, solvit, vel 3) filii crimen certa pecunia redemit? De quibus singulis seorsim agemus, addendo tandem: an deficiente expressa avi voluntate, ex conjecturis colligere liceat, quod tacite nepotibus collationem remiserit, an vero ex contrariis præsumtionibus, quod eadem fungi eos voluerit.

§. II.

Parens an filio mutuo cum effectu dare possit? Parente olim omnes filii actiones pro arbitrio suo dirigente, omniaque bona quæ illi obveniebant ad se rapiente, *tot. tit. I. de P. P. & per quas personas nobis acq.* identitatem personarum, vel

certe

certe unitatem inter parentem & filium naturaliter intercedere, veteres sibi olim effingebant Romanorum JCti *L. XI. Cod. de impuber. & aliis subst.* Secundum commentum istud patriæ potestatis haud exiguus ille erat effectus, non tantum ut quæque ad filium pervenissent, ad parentem pertinere censerentur bona. *d. Tit. I. per quas &c.* Sed quoque ut qui inter eosdem intercederet contractus, aut facta esset stipulatio, plane exinde haberetur inutilis. *§. 6. I. de inutil. stipul.* Neque adeo pecunia mutuo data alter alteri ullo modo obligari poterat, cum neuter creditoris ac debitoris partes atque personam simul sustinere posse crederetur. Quæ tamen, cum tantum in filiis sub parentum suorum potestate adhuc constitutis obtinerent, siquidem emancipati, qui per emancipationem a genitorum corpore quasi avulsi, & sui juris facti, apud ipsos jam Romanos valide cum parentibus suis paciscebantur & stipulabantur: ita apud nos nugis istis Romanis, quod filius & parens pro una persona habeantur, plane exulantibus; potius est, ut dicamus: omne inter eos negotium cum effectu geri, omnemque contractum ex gentium jure subsistere B. THOMASIUS *ad cit. §. 6. I. & in dissert. de usu practico tit. I. de patr. potest. passim.* Imo vero si antiquæ, quæ apud Romanos obtinebat, emancipationis quædam adhuc vestigia scrupulose quærerentur, eandem non inepte quolibet qui inter eosdem primus celebratur, vero contractu contineri & quasi adumbrari dixeris, instarque emancipationis haberi. HAHN. *ad Wesenbec. de tribut. act. in fin.* B. THOMASIUS

 Diss.

Diss. de tacita emancipatione Germanorum. Vnde quin hodierno jure filio a parente vel ad instruendam tabernam mercatoriam, vel ad emendam dignitatem, vel ad comparanda aut conducenda prædia, pecunia mutuo dari cum effectu possit, dubium nullum amplius restat.

§. III.

Quæritur: An nepotes non heredes, pecuniam ab avo mutuo parenti datam, conferre debeant?

Diu jam exinde mota & exagitata inter Dd. fuit quæstio: an nepotes parentis hereditatem repudiantes, pecuniam a vivo avo intermedio parenti mutuo datam, rursus inferre teneantur in avitæ hereditatis massam? Obstare videtur: quod parens filio mutuo dans, in eo non qua parens, sed qua creditor possit considerari. Nepos autem, qui ex beneficio *L. 7. ff. Vnde liberi* repudiata parentis sui hereditate avo succedit, ad æris, quod parens contraxit, alieni exsolutionem non teneatur, ne magis beneficio decipi, quam adjuvari videatur; siquidem hoc omnium heredum commune sit beneficium: ut repudiata hereditate, exsolutio æris alieni defuncti, plane ad eos non spectet, cum deficiente hereditate, deficiat quoque heredum qualitas. Deinde autem ex mutuo isto a parente accepto, nihil pervenit ad nepotes; unde nec ad ejus collationem cogi poterit, *per L. 1. §. 19. & L. 2. §. 2. ff. h. t.* In medium prolatam quæstionem exinde negandam censuerunt. CARPZOVIVS *lib. 6. tit. 7. Resp. 72. §. 3. seqq. & cum eo* STRYCK *cit. l.* LAVTERBACH *in Coll. maj. §. 9. ad h. tit.* CORNELIVS VAN ECK §. 18. *h. t. Colleg. jurid. Argentor.* §. 8. *h. t.* sententiam suam rationibus adstru-

Argumenta pro negativa præcipue allata.

a Carpzovio.

ſtruentes: 1) quod ſuo jure ſuccedant nepotes, 2) quod ultra hereditatis vires teneri aut obligari non poſſint, 3) quod pro excogitata a FABRO diſtinctione, tantum GRADUM non æque PERSONAM ſuſtineant vel repræſentent. Eandem copioſius pertractatam, tandem negat quoque HUBERUS *in prælect. ad ff. h. t.* §. 5. longe apparentiori ac majoris ponderis argumento inductus. Ratiocinationis ſuæ vis hæc eſt: nepotes parentis hereditatem repudiantes, nec reali, nec perſonali actione poſſunt adigi, ut quæ avus mutuo parenti dederat, rurſus hereditati in ſucceſſione avi inferant, ergo plane ad conferendum non obligantur. Quæ ſua aſſerta exinde probare annititur, quod nepotes nec hereditatis perceptione adſtringantur, qui non heredes nihil perceperunt, quod poſſidere aut dolo aut culpa amittere unquam potuerint, neque teneantur repræſentationis vel collationis jure, cum non repræſentent parentem æs alienum contrahentem, in contractibus enim repræſentationem non obtinere. VALASCUS *Conſ. CXXII. num.* 24. ROBLES *de repræſent. lib. III. cap.* 12. *num.* 7. Quapropter contractum a parente æs alienum materiam eſſe collationis inhabilem, cum tantum conferatur quod in bonis defuncti tempore mortis eſt *L. 6. Cod. h. t.* In bonis autem defuncti filii, non eſt quod debuit. *L. 49. ff. de V. S.* Multo vero minus ex perſonali actione ad nepotes ut conferant obligationem redundare poſſe, qui neque vere, neque quaſi cum avo de ſuſtinendo mutuo contraxerunt.

Et Hubero.

§. IV.

Quæ rejiciuntur & refelluntur.

Sed quemadmodum ad rationes contrarias Carpzovii, & eorum, qui cum illo sentiunt, eæ, quibus præcedenti Capite easdem jam profligavimus, responsiones hic iterum recurrunt, ita HVBERI argumentum non adeo difficile, uti initio videri poterat, erit confutatu. Primo enim non satis recte inferre licet: ad hoc vel illud exigendum neque ex jure in re, neque ex jure ad rem, seu facto, descendit actio, ergo plane de hoc vel illo exigendo, recuperando, plane experiri non potest adversarius. Ex generali enim æquitate sæpius actionem provenire, quam a lege civili animatam dicit, & utut nec relis nec personalis nominari queat, admittendam tamen esse satis probat *Hertius in paroem:* **wo einer sein Guth findet/ da spricht er es an** §. IV. * Porro autem, licet per solam repræsentationem nepos non heres ad quamvis alieni a prædefuncto suo parente contracti æris exsolutionem non teneatur, cum neque extraneis obligetur, *Carpzov. d. l.* & in transversali linea cognatis agnitionem ejusmodi debitorum denegare possit, cum in utraque specie non ex collationis ratione, sed ex sola hereditatis aditione, imputatio æris alieni sit instituenda. GRATIANVS *discept. forens. Tom. IV. cap.* 776. *Carpz. Part.*

* Vt taceam, quod etiam de jure communi tot dentur condictionum, quæ ex lege immediate descendunt, in ipso tit. de cond. ex leg. exempla. Et quid Huberiani existimant de actione ex parœmia: Kauff gehet vor Miethe? quam sane frustra ex eodem dilemmate: quod aut ex jure in re, aut ad rem deducenda sit, quondam petiit *Zollius* contra *Zaunschliffer.*

Part. II. *Dec. CLXV.* longe tamen alia est ratio in avi hereditatis divisione, ubi inter descendentes ut ÆQVALITAS servetur, id tantum adtendi debet; an ex bonis ejus, de cujus hereditate agitur, aliquid in eum, cujus nomine collatio exigitur, sit profectum, *Nov.* 18. *cap.* 6. *&* 118. *cap.* I. quod postea coheredibus, nisi rursus inferatur, eminens quidem damnum inferre, & laudatam toties ÆQVALITATEM prorsus lædere queat. Quapropter vel maxime in eo decipitur vir alias accuratissimus HVBERVS quod putet: parentem intermedium nomina ab avo contraxisse non hereditario & collationis jure, sed obligationis & debitoris nomine, quod nepotes prorsus tangere non possit. Pro jure suitatis jam vivo avo quodammodo ejus rerum dominus haberi potuit intermedius parens, *arg. L.* II. *ff. de liber. & posth.* Vnde potius earum administrationem, quam mutuum avus ipsi dedit, cui licet adeo male præfuerit, ut ad nepotes nihil pervenerit, nec hi cum avo contraxerint, aut personali vel reali inde actione experiri possint, nihilominus profecta in parentem conferre tenentur, non quod ex parentis facto aut profectorum participatione obligentur, sed quod eos expressa legis verba jubeant *eadem portione quam parens vivus accepturus fuisset*, ex solius ÆQVALITATIS & ÆQVITATIS capite contentos esse, & consequenter eadem quoque in communem hereditatis massam rursus inferre, *quæ illorum genitor* fuisset collaturus.

§. V.

Pari quoque ratione determinanda erit quæ- *Quid si avus profi-*

 stio

lio fidejusserit? ſtio præcedenti affinis: an nepotibus non heredibus imputanda quoque ſint, quæ pro intermedio parente exſolverat avus fide juſſor? Quæ quidem ex iisdem quoque rationibus affirmanda. Diſſentientes & quæſtionem abnuentes, & qui inter eos agmen ducit BASTINELLER *in diſſert. de nepote non conferente &c.* ad unum fere omnes provocant ad *L. 6. C. h. t.* Sed ut taceam, ne crambem plus ſimplici vice recoctam, ad nauſeam usque reponam, quod iſta lex de emancipato, qui ex prætorio edicto SVA BONA conferre tenebatur, tantum loquatur, & emancipatum idcirco tantummodo a collatione eorum, quæ citra ſuam culpam aut dolum ex bonis exierint, liberent, nec adeo hodie ulterius adtendendæ ſint; id in præſenti tantum monere liceat, quod eandem licet legem adhuc in valida obſervantia eſſe concederemus, nihilominus tamen nepotes ea ſe tuentes, collationem in ſpecie qua verſamur detrectare haud poterint. Conſtat enim, locutionem: *in bonis eſſe;* per plura juris argumenta non tam eraſſe & crude accipi, ut de iis tantum dicatur, quæ naturaliter ac revera adhuc exiſtunt atque exſtant. HERT. *Oper. Vol.* I. *Tom. III. p.* 424. Hoc ſenſu nec dotis nec donationis propter nuptias, vel ad ſuſtentationem, vel ad ſtudia data in BONIS eſſe dici poſſent, quamprimum forent erogata, facilique ita negotio fieret, ut pro ea quam in hunc finem nonnulli JCti BARRY *tit. III. num.* 7. & CAEPOLLA *caut. XIII.* excogitarunt, ſuggeſſerunt cautelam, vel potius cavillationem, omnis ab ipſo filio ſuſcipienda collatio intervertere-

Explicatur, quid pro juris interpretatione in bonis eſſe dicatur.

tur.

tur. Quapropter dicendum potius videtur: ea, quæ pro filio parens exſolverat, tanquam fidejuſſor in filii BONIS cenſeri debere, quia debitis liberatus, locupletior factus eſt filius. ZOESIVS *ad ff. h. t. num.* 43. Vnde non tantum patri competit ex re utiliter geſta negotiorum geſtorum actio, ſed & ipſe filius debitor pro naturali æquitate in tantum tenetur, quantum ipſe plus habuit, quantumque ex parentis bonorum ſubſtantia deceſſit. Sed ais: non conſequitur, quod quia parens fidejuſſor pro filio ſolvit, & ſuo nomine filius eſt ſolutus, ergo locupletior ſtatim cenſeri poteſt, cum nondum exinde conſtet: an nomina a filio utiliter contracta, an in rem ſuam verſa, an utiliter a parente ſoluta? Enimvero æquitas bene ordinata quamplurimum reſpicit negotium gerentis intentionem; jus Romanum vertendum haud raro agnoſcit pro verſo, *argum. L.* 17. *princ. ff. de in rem verſo.* Verſum quoque ex domini opinione æſtimatur. *L.* 3. *eod. tit.* Accedit quoque: quod parens, recepta ſemel in ſe fidejuſſione, coacte, & cum ſera in fundo parſimonia eſſet, ſolvat. Vnde non tantum ipſi vivo contra filium negot. geſt. actio una cum fidejuſſoria competit, ſed & eo defuncto coheredes a filio exigere poſſunt, ut conferendo ea reſtituat, quibus paternæ hereditatis maſſa imminuta, quibusque ipſe factus eſt locupletior. Aſt duplicando porro inſtas: hæc omnia probare quidem, filio ipſi imputanda, qui parens fidejuſſorio nomine pro eo ſolviſſet, nepotes tamen plane non tangere, qui neque aliquid acceperint ex quo locupletiores facti dici queant,

ant, neque dolo aut culpa possidere desierint. Statim autem regero: in eadem tamen portione, quam vivus excepisset parens, acquiescere jubentur, neque adeo pinguior eorum, quam parentis potest esse conditio. *Nov.* 118. *cap.* I.

§. VI.

Nepotes abstinentes, conferre debent quæ avus pro filii crimine persolvit.

Porro ex eadem obligatione, qua parentis sui portione contenti esse tenentur, nepotes eorum imputationem quoque pati debent, quæ delicto suo apud avum contraxerat filius nomina. JOH. a SOMMERN *tract. de repræsent. Cap. VII. num.* 4. VINNIUS *de collat. Cap.* 13. *num.* 10. An vero vel in ipsum avum deliquerit, an in alios, quibus postea avus solvendo pecuniariam pœnam satisfacere debet, nihil interest. VOETIUS *ad ff. h. t. num.* 15. ubi simul rejicit distinctionem quorundam: qui collationi locum esse statuunt, ubi invitus avus delictum filii redemerat, non autem æque, ubi suapte sponte & pietate quasi inductus, mulctam pro filio præstiterat. Ea enim, uti verba sunt apud JOH. a SOMMERN *dict. L.* naturæ instinctus & necessitas, ne post commissum crimen filius condemnetur, quasi extorsisse in utraque specie videtur. Sed hæc paterna pietas eousque tantum extendenda, ut quidem corporis pœnæ afflictivæ subducere voluerit parens ex se natum prompta mulctæ pro eo solutione; non tamen, uti nonnullis, qui citantur a B. STRUV. *in Exercitat. ad. ff.* 37. *num.* 28. lytri non conferendi exceptionem hic applicantibus visum, ut erogata plane donare, aut eorum collationem ex eadem æquitate, aut pater-

næ

næ pietate remittere, ipsi in mentem venerit. Quæ autem in contrarium allegatur *L. 17. Cod. de postl. rev.* ex militiæ favore peculiarem æquitatem continet, & lytro singulare illud, ut conferri non oporteat, concedit privilegium; quod ultra limites causæ, quæ in filio captivo utique honesta ac laudabilis est, ad minus honestam, qua scilicet in vitio atque crimine idem versatur, extendi nequit. STRVV. *dict. L.* Pietatis vero tantis encomiis in *L. 34. ff. de N. G.* ornatæ ratio præsumtionem nullam inducere potest, ex qua conjicere liceat: avum, quo minus mulcta pro filio erogata, rursus conferatur, voluisse. Generaliter enim, ut dici solet: nemo in dubio liberaliter rem donasse præsumitur. MASCARDVS *de probat. Conclus.* 554. Solutum solutum semper in causam duriorem creditur. *L. 3. & 5. ff. de solut.* Imo & in genere filio in subsidium dans, animum donandi habuisse non censetur *L. 11. Cod. de N. G.* Præsertim si datum alicujus fuerit momenti. WERNHER. *Observat. forens. Part. 1, Observat.* 66. Ita multominus in nostra specie, propter delicti odium, ulla parentis vel avi pietatis, aut voluntatis collationem tacite remittentis, præsumtio locum invenire poterit; cum fere impium videatur: alteri liberorum donare velle, quod aliis fuit subtractum, vel innocuis pœnas criminum ab aliis commissorum imponere. DIODOR. TVLD. *ad Cod. tit. de Collat. num.* 12. Ex quibus omnibus satis manifesti juris esse arbitror: quod in casu quo filii crimen redemit avus, æque ac in præcedentibus duabus speciebus, quando scilicet ex fidejussione aliquid soluerit, aut

mutuo dederit avus, haud minus quam ipse filius conferre teneatur nepos, cum meliori is conditione gaudere nequeat, & nos omnia quæ de his speciebus hactenus disputavimus, tot tantorum virorum, quorum vestigia lustravimus, testimonio obsignare possimus. Conf. præter toties laudatos, VOET. STRVV. BRVNNER. VINNIVM, BERLICHIVM, illustris BERGERVS *in Oec. Jur. pag.* 499. WERNHERVS *in integris animadv. ad dissert.* BASTINELL. *Tom.* I. *observat. for. ad calcem*, cui in nostra tract. præ aliis multum deberi, libenter profitemur. SCHILT. *exercit.* 41. §. 21. 22. 23. SCHÖPFER *de sumtib. studior. Cap.* 3. *num.* 8. FLECK. *bibliotb. jur. civ. lib.* II. *tit* 54. *num.* 5. CHRISTINÆVS *Vol.* II. *decis.* 178. *num.* 14. *& Vol. V. decis.* 198. BRVNNEMANN. *Cent.* II. *dec.* 85. & innumeri plures, qui partes nostras insigniter augent & ornant.

§. VII.

An conjicere liceat: avum tacite remisisse collationem?

Porro ut præscripto in §. I. hujus Capitis ordine procedamus, paucis adhuc disquirendum erit: an conjecturæ dentur, quæque istæ sint, ex quibus conjicere liceat, quod avus collationem tacite nepotibus suis remiserit? Vtut autem per superius Cap. I. ad §. 9. deducta, vel tribus rem omnem expedire possimus, dicendo, quod pro instituta ibi antiqui Codicis cum Novellarum jure comparatione, negata priori quæstione, eadem ruina quoque concidat altera: ob quorundam tamen a nobis dissentientium opinionem, rem altius repetendo, operæ pretium fecerimus. Pro antiquo igitur jure, quæ collationis erat facies,

cies, locus non fiebat collationi, nisi coheredes eadem fungi expresse voluerint testatores; illud tamen eum in modum transformavit Imperator, ut semper, sive testatus, sive intestatus quis moriatur, sive collationem expresse injunxerit, sive de eadem nil dixerit, collatio nihilominus fieri debeat. *Nov.* 18. *cap.* 6. Relicta tamen adhuc erat, uti in omni successionum materia, ita in collationis quoque argumento, libera testatoribus de bonis ultimo elogio dividundis testandi facultas, hac tamen ratione circumscripta, ut nisi clare utique distincte eadem usus fuerit testator, ea juris dispositioni reliquisse præsumatur, in quibus successionis ab intestato vestigia non intervertit, uti vero si illa ipsi libuerit, EXPRESSE voluntatem suam, qua præscriptam in successione ab intestato æqualitatem turbet, declarare teneatur jure novellarum. *Nov.* 18. *cap.* 6. Interim si BERLICHIVM, citatis simul multis aliis *in dec. aur.* 249. *num.* 3. audimus si quoque fides habenda CAROLO DE MEAN *ad jus jus Leod. Part.* I. *observat.* 78. *num.* 28. idem probanti exemplo parentis minorem filiæ portionem, quam filio relinquentis, quod eam jam dotasset: ex conjecturis utique collatio *tacite* sublata censeri posse videtur. Sed quemadmodum Berlichii sententia per superius dicta satis eluditur, distinguendoque inter Codicis & Novellarum jus, ab ipso perpetuo fere conturbatum funditus conficitur: ita sane nescio, an species a Mean tractata, tacitam collationis remissionem contineat? Licet enim tacita ea sit dicenda, quæ ex factis colligitur, atque in ejus specie adsint facta, contrari-

 am

am testatoris voluntatem haud obscure indicantia, interim tamen potius dicendum videtur: quod per inæqualem suam distributionem collationem jam ipse præmaturaverit, & ita expresse satis voluntatem de ea non reiteranda declaraverit testator. * Hujus enim distributionis a testatore factæ, & collationem impedientis, meminit Imperator *in cit. Nov. in fine Cap.* 6.

§. VIII.

Pro facienda a nepotibus collatione ex præsumta & obscurius declarata avi voluntate colligitur obligatio.

Ex adverso autem quæ pro juris dispositione in successione ab intestato nepotibus non heredibus sui parentis incumbit conferendi obligationi: in testamentaria longe majus accedit pondus, si vel obscure tantum pro suscipienda collatione mentem ac voluntatem suam declaraverit testator avus. Multum enim cum inter liberos quævis parentis professio & assertio quibuscunque verbis declarata sufficiat, eique multum tribuendum sit, cum de collatione dubium incidit. MEV. *Part. IV. dec.* 233. Injungi ea potest quoque ab avo, citra ullas adhibitas testamentorum solennitates, VEL IN CODICILLIS, ita ut ex illis in facto quoque conferre teneantur nepotes, quæ de jure alias, & ab intestato conferre haud jubebantur. HEIG. *quæst.* 24. *num.* 39. VEL *in separata schedula. L. B.* de

---

* Forte & ita: *L. 39. §. 5. famil hercisc.* quam laudat DE MEAN continet speciem: ubi pater filiæ dotem dedit, *reliqua omnia* re nulla indivisa relicta, inter filios distribuit. Atqui hic nullum restat familiæ hercifcundæ judicium, in quo alter liberorum ab altero collationem urgere possit. Immo 2) divisione *omnimoda* sua pater satis expresse definit, quas partes inter liberos suos citra omnem collationem obtinere velit.

de LYNCKER & cum eo Anteceſſores Jenenſes *Reſolut.* 450. Vnde tandem prono alveo conſequitur: quod pro facienda collatione haud exigua inducatur præſumtio, ſi quod credidit intermedio parenti avus, in rationum ſuarum deſignationes ipſe cum cauſa & titulo intulerit, ſpeciatimque quævis nomina deſignaverit; ſiquidem exinde credendi animus liquido intelligitur. *Colleg. jur. Argent. ad tit. de Collat.* §. *VIII. num.* 78. Vel alteri liberorum, qui aliquid præceperat, collationem injunxerit, quo æqualitatem inter coheredes ſuos, quod ſervari voluerit, ſatis declaravit. Enim vero quid immoramur hiſce Dd. cum Juſtiniani lex eo ipſo, quo diſertam collationis prohibitionem requirit, de conjecturis voluntatis patris, quibusnam eadem inducatur, diſputandi apertiſſime finem feciſſe appareat in textibus Novellæ.

CAPVT IV.
DE
NEPOTE EX IVRE GERMANICO CONFERENTE.

§. I.

Transgreſſio.

Germani antiqui ignorarunt nepotum cum patruis ſucceſſio-

SEd quas hactenus ſecundum Romani juris analogiam inſtituimus diſputationes, easdem patriis quoque convenire legibus, probatu haud erit difficile. Antiquiſſimis retro ab hinc Seculis, abhorrebat Germanorum naturalis tantopere celebrata ſimplicitas omnis, quas circa ſucceſſiones poſtea introduxerunt Romana jura ſcrupuloſas ſubti-

nem & repræsentationem.

ſubtilitates. Ignotæ tunc temporis teſtamentorum nimiæ ambages. *Heredes ſucceſſoresque* uti verba ſunt apud TACITVM *de morib. Germanor. Cap. XX. ſui quique liberi, & nullum teſtamentum.* Ignotæ tunc repræſentationis quas dicere voluerunt fictiones. * Neque exinde olim in Germania apud pleroſque populos ſucceſſio nepotum in parentum locum erat, ſed hi ſero demum cum patruis ad avi hereditatem ſunt admiſſi. GROTIVS *de I. B. & P. lib. II. Cap. VII. n.* 30. *§. I. cit. ſimul* MOLINAEO *de jure primog. Lib. III. Cap.* 8. Hereditates enim ab inteſtato deferebantur liberis, his deficientibus proximitas gradus unicum ſuccedendi erat fundamentum. TACITVS *d. l.* verbis: *ſi liberi non ſunt, proximus gradus in poſſeſſione fratres, patrui, avunculi.* Succeſſionis nepotum nulla fit mentio, neque eosdem ſub liberorum generaliori denominatione comprehendi, creditu facile. Debetur huic majorum noſtrorum ſimplicitati, & quæ hodie apud Saxones in uſu atque obſervantia eſt parœmia: Je näher dem Sippe/ je näher dem Erbe; de qua *vid.*

* Quod nepotes parentem repræſentent, id per fictionem fieri, ait BERLICHIVS *dec. 247. n. 30.* Sed ex parentis repræſentatione, ut vel vigeſimo gradu interjecto, deſcendentes defuncto tritavo ultimo ſuccedant, vel ipſi naturæ & æquitati quam maxime convenire videtur. GROTIVS *d. l.* Nec in linea recta minimum generationum multitudo crimen parricidii vel inceſtus variat, ſed tritavum occidens, vel cum tritavia rem habens, æque pro parricida, inceſtuoſo, habetur, ac qui parentem interficit, vel ipſi matri ſtuprum intulit. Quæ ſecus in deſcendentibus in linea collaterali, ubi graduum interjectio criminis atrocitatem pœnamque mitigat, ita ut cum ſororis nepte concumbens, arbitraria tantum pœna puniatur.

vid. HERT. *opusc. Vol. I. Tom. III. pag.* 534. & quod apud Belgas effertur dicterium: l' naaste Bloed / erfft het Goed; de quo videri possunt GRÖNEWEGEN, aliisque passim, & sigillatim VOET. *ad ff. tit. de collat.* Idem apud Gallos & Belgas ab antiquissimis Seculis usu obtinuisse, citatis CHOPPINO *de morib. Paris.* GROTIO *in manuduct.* SANDIO *de feud. Holl.* testatur IOH. a SOMMERN *de repræs. Cap. I.* §. 1.

§. II.

Nepotes ad avi hereditatem per repræsentationem non admissi sunt, nisi demum tempore Childeberti Francorum Regis.

De subsequenti vero ætate antiquitatis & barbariei situ obducta, non nisi obscurius interjecto tam longo temporis intervallo, in tanta Scriptorum inopia cognoscere licet. Legem Salicam gradu proximiores tantum admisisse, nepotes vero repulisse, licet non expressa eorum in citato textu fiat mentio, probare *ex Tit.* 62. *leg. Sal.* nititur HIERON. BIGNONIVS *ad Marculph. apud* BALVZIVM *Tom. II. pag.* 935. Quod postea innovatum est Regis Regis Francorum Childeberti constitutione, in decretione ejus data circa annum 545. *apud* ECCARD. *ad L. Salic. pag.* 166. verbis: *Anno regni nostri XX. convenit, ut* NEPOTES *ex filio, vel ex filia, ad aviaticas res cum avunculis vel amitis sic venirent in hereditatem, tanquam si pater aut mater vivi fuissent. De illis*, ibidem pergit, *hic loquimur, nepotibus ex filio, non ex fratre, adeoque in linea descendenti.* Satis clare ac perspicue hæc verba loquuntur nepotum in avi hereditate successionem, * nec quæ aliter incidere solet dubitatio

tatio

* Quod si tantum nepotes aut pronepotes tantum aderant, hereditas

reditas

tatio, ac si nepotum ex fratre causa ageretur, locum hic invenire potest. Inductus potissimum, ut hanc legem ferret, videtur Rex Childebertus, vel ex studio imitandi leges Romanorum, cum quibus ab Augusti temporibus quotidianus Germanis fuerat usus & consuetudo, vel quoque ex ratione: quod antiquiores casti Teutonum mores, quos laudat TACITVS *d. l.* versic. *juvenum &c.* ita tunc temporis jam in pejus abierint, ut ductis nimis mature in matrimonium uxoribus, sæpe numero acciderit: ut intermedii parentes, ordine quippe mortalitatis retrogrado avum morte præcedentes aliquot jam natos reliquerint, quos tamen parentum suorum immatura morte omni plane portione, omnique re, qua sese sustinere possint, destitui, iniquitatem sapere forsan videretur. Vnde ut parentum vices subeundo in ejus portione succederent, prudenti consilio placuit.

§. III.

Nepotem successio & repræsentatio Seculo IX. dubia fuit.

Neque vero post latam hanc Childerici Constitutionem, an semper & ubique in Germania vicaria nepotum successio, seu jus eorum repræsentationis obtinuerit, satis recte determinare licet. Pro nepotibus ex Seculo IX. laudat alicubi ad Annum 957. locum ex BALVZII *Tom. II. p.* 42. §. 9. vir omni laude major de LEIBNITZ; sed quod tantorum cinerum pace dixerim, nescio sane:

reditas non in stirpes, sed per capita dividebatur, eadem lege salica *§. 6. dict. l.* Quod jus ibidem a Romanorum placitis, & repræsentationibus abiisse, olim Francones satis demonstrant.

ne: an deficiente itidem expreſſa nepotum mentione de eorum tunc temporis obtinente an avi ſucceſſionem admiſſione certi aliquid ex dicto BALVZII loco edoceamur. Multominus nepotum jus avo ſuccedendi, ulla ratione evincit quem GROTIVS *in not. ad lib. II. Cap.* 7. §. 30. citat. ex REVBERO Eginhardi locus. Carolus enim nepoti Pipino regnum judice Eginhardo reliquit, non ultima voluntate, non ſucceſſionis jure in hereditatem, ſed actu liberalitatis inter vivos. Vnde allata ſpecies potius æquitatis munificentiæque ipſius Caroli, collatique ab eo in nepotum beneficii, quam facultatis de jure avo ſuccedendi nepoti competentis indicium conſtituit.

§. IV.

Nepotum cum filiis ſucceſſio, initio Seculi X. incerta, ab Ottone I. reſtaurata.

Quemadmodum autem in Germania quondam ſucceſſio tam deſcendentium, quam reliqua omnis, nulla certa regula definita eſſet adeo, ut per pacta in familiis plerumque determinaretur: ita quoque exiſtente interdum ſpecie, qua a parente filii dotati & ſeparati erant, olim dubium, an nepotes ab illis progeniti, amplius aliquid ex avi hæreditate vindicare ſibi potuerint. Certe valde adhuc Ottonis I. ætate incertum fuit: an cum filiis ſuccederent nepotes, annon? Cujus luculentiſſimum teſtimonium exſtat apud WITTICHINDVM *in Scriptorib. rer. Germ.* MEIBOMII *Tom. I. pag.* 644. Oborta ſcilicet inter filios & nepotes de ſucceſſione lite, eandem propria auctoritate componere non audebat Rex Otto, ſed ut inter arbitros judicaretur edicto univerſum populum convocavit.

Postea tamen, uti verba fluunt apud Wittichindum: Rex meliori consilio usus, noluit viros nobiles ac senes populi inhoneste tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni jussit. Vicit, porro ait, pars, qui filios filiorum computabant inter filios, & firmatum est, *ut aequaliter cum patruis* hereditatem dividerent pacto sempiterno. Ad quae potissimum verba respexisse videntur, qui sub hoc Ottone repraesentationis & vicariae successionis jus in Germania post Childebertum rursus sua initia habuisse volunt IOH. a SOMMERN *dict. L.* & HERT. *Volum. I. Tom. III. pag.* 533.

§. V.

Non autem aeque Secul. XII. & XIII.

Pari quoque ratione qua sub Ottone I. monomachia inter patruum & nepotem bis sub Ottone IV. certatum fuisse, refert BALDVINVS *in Comment. ad Just. ad* §. 8. *de Hered. quae ab intest.* licet auctorem non citet. Vti vero nepotes tunc temporis non de ipsa hereditatis avitae participatione, sed potius id ferro decernerent, ut eadem * quibus praedefunctus eorum parens, qui natu inter fratres fuerat major, gavisus esset jura ex repraesentatione quoque consequerentur: ita quod eo temporis vicaria successio & repraesentatio jam recepta fuerit atque probata, suo modo con-

* Quaedam excipiantur, quod eorum causa hereditaria non sit, v. c. jus patronatus, tutelae, &c. ad quae nepos ex repraesentatione nunquam admittitur, citatis simul textibus, explicat Balduinus dict. l. Coeterum nepotem ex filio aetate majori natum eadem quae parens habuit primogeniturae jura quoque consequi, vel plus XL. rationibus demonstrat citatus a Balduino ibidem Tiraquell.

constat. Sane de Seculo XIII. non extra omnem dubii aleam ponunt, quæ ex isto ad nostra tempora pervenerunt jura scripta. Nam secundum hæc ex filio orti vocantur, ex filia* autem progeniti repelluntur nepotes. *In Speculo Saxon. lib. I. artic.* 5. *pag.* 29. edit. a D. Gærtnero novissime procuratæ habetur textus: Nimbt ein Sohn bey seines Vaters Leben ein Weib so ihm eben bürtig / und gewinnet Söhne mit ihr / und stirbt hernach vor dem Vater / ohne mit dem Erbe abgefunden zu sein / so nehmen dessen Söhne an des Vatters Statt gleichen Erbtheil mit ihren Vettern in dem Groß-Väterlichen Erbe / jedoch bekommen sie nur Kindes-Theil; dieses aber wiederfähret den Tochter-Kindern nicht / daß sie solten mit der Tochter in des Groß-Vaters oder Groß-Mutter Erbe können gleichen Theil nehmen. In eundem quoque sensum eunt verba ejusdem *lib. I. artic. XVII. Spec. Sax.* Doch nimbt des Sohnes oder Tochter Kind Erbe vor den Vater und Mutter / und vor dem Bruder und Schwester / weil das Erbe nicht ausser dem Busem gehet / so lange ebenbürtiger Busen vorhanden ist. Neque ullus hæreo, quin affirmem: subeundam & eadem ætate jam filii nepotibus fuisse collationem. Emancipati enim liberi, ut ad hereditatis divisionem non admittantur, nisi facta demum jurata a parente acceptorum designatione, præcipit *Artic. XIII. Spec. Saxon.* ubi verba ita fluunt: Sondert ein Vater oder Mutter eines ih-

 rer

* Quomodo hæc cum antiquo jure Romano §. 15. J. de success. quæ ab intest. enarrato conveniant quomodo eidem reclamet Nov. 18. cap. 6. videre licet apud Balduin. d. l.

rer Söhne / oder Töchter / mit ihrem Guthe ab / sie mögen sich in der Kost scheiden oder nicht / wollen solche alsdenn nach des Vaters oder der Mutter Tode an eben demselben Erbe / der Bruder nemlich / gegen den Bruder / oder die Verheyrahtete gegen ihre unausgestattete Schwester Anspruch machen: so müssen sie vermittelst Eydes alles dasjenige Guth / womit sie abgesondert worden / wenn es fahrende Habe gewesen / ausser was Gerade ist / in die Theilung bringen. Neque diversa ab hac per reliquas Germaniæ provincias usu servabatur consuetudo: utique enim cum Saxone convenit Suevus. Sic in quæst. artic. XC. *Spec. Suev. apud* SCHANNAT *pag.* 216. proposita: an liberorum uni plus parens legare possit, quam alteri, competens parenti de bonis suis inæqualiter disponendi facultas, quidem non plane tollitur, ad causam tamen quo parens moveri possit, ex æqualitatis inter liberos servandæ favore, eadem restringitur, in verbis: *Wir sprechen also, an dem Todtbette muss er gleich theilen, es en sey dan der Kind ein pas gerathen, denn das ander, dem mag er mehr gegeben.* Pariter quoque in *Artic. XCII. ejusd. Spec.* liberis elocatis & separatis eorum quæ acceperunt, collatio injungitur, ubi textus ita se habet; *Vnd stirbet ein Mann und lat Chind Sun und Tochter hinder im, da er mit zuschaffen hat, die Kind sein ausgesteuret oder nit, sy schullen dat eygen mit einander theilen, und also was den Chinden voraus ist gegeben worden, daz schullen sy werffen in den gemain Tail des Guths daß da ist, es sey varendes Gut, oder ander Gut, das schullen sy denen gleich mit einander tailen.* Neque

quæ minus inter descendentes æqualitatem servandam esse in hereditatem divisionibus commendant Statuta Bremensia. *Vid. Statut. Brem. pag.* 305. Atqui vero si hæc inter liberos primi gradus, & quando frater una cum fratre parenti succedit, fuerunt observata: quanto magis præsumendum est, eadem ex longe majori æquitatis ratione obtinuisse, cum nepos ex repræsentatione parentis sui cum patruo ad avi hereditatem concurrit.

§. VI.

Sensim tamen rursus in desuetudinem abiit.

Sed quemadmodum communiter fieri solet, ut ad antiquos, quibus semel inhæserunt, mores, facile redeant homines: ita naturalis ista toties laudata Germanorum simplicitas, tam altas radices egerat, ut parentum in nepotibus repræsentatio, & descendens exinde eorum successio, sensim rursus in oblivionem abiret, teste JOH. A SOMMERN *dict. tract.* §. 1. *cap.* 1. Idem in vicina Gallia evenisse, grave præjudicium loquitur, quod apud BALDVINVM est *in Comment. ad Inst. pag.* 403. Cum enim anno Domini 1302. mortuus esset Robertus secundus, Comes Arthesiensis, relicta filia Mathilde & Roberto nepote ex filio Philippo, hicque nepos succedere vellet exclusa filia Mathilde, jure parentis, decreto sive arresto Senatus Parisiensis prohibitus est, quasi successioni hic non esset locus.

§. VII.

Revocata a Maximiliano I. & Carolo V.

Imo nepotum successionem vero testibus HEIGIO *Part.* 1. *quæst.* 8. *num.* 30. *& Mevio ad Jus Lub. Part.* 11. *Tit.*

Tit. II. *artic.* I. *num.* 30. in Germaniæ fora postliminii jure reduxit Imperator Maximilianus I. *per Rec. Imp. de Anno* 1500. §. 18. *versic.* An Statt ihrer; illam paullo post confirmavit Carolus V. *per Rec. Imp. de Anno* 1521. *versic. Item* als auch 18. Incidit in horum summorum Imperatorum post Alberti II. tempora peregrini juris facta per Germaniam receptio, cui & nova repræsentationis & successionis in stirpes restauratio deberi, eo magis verosimile videtur: quod Imperator Carolus V. *cit. l.* §. 19. communis juris mentionem faciat. Ex quo repræsentationis beneficium mutuatus, illud cum in Germanicarum legum corpus transcripserit, ab omni sane ratione alienum fore videtur, ut statuamus. Imperatorem ex avita hereditate partem nepotibus indulsisse quidem, noluisse autem, ut & conjuncta cum eadem eadem, onera ad illos spectarent, omni potius collationis incommodo thiis relicto; qui tamen pro antiquiori Germanorum consuetudine, soli suo jure proprio integram avi hereditatem occupaverant.

Quæ revocatio debetur factæ Juris Romani per Germaniam receptioni.

Unde in collationis quoque argumento Jus Germanicum cum Romano consentit.